

Liber philosophorum moralium antiquorum

[Page 398]

INCIPIT LIBER PHILOSOPHORUM MORALIUM ANTIQUORUM.
SEDECHIAS primus fuit per quem, nutu Dei, lex recepta
fuit et sapiencia intellecta. Et dixit ergo Sedechias quod credens[Page 399]

habere debet in se ipso sexdecim virtutes. Prima est Deum cognoscere
et angelos suos; secunda est discretio boni et mali,
boni ad operandum, mali ad vitandum; tertia est obedire regi
quem Deus loco et vice sui ordinavit super terram dans ei
potestatem in populo; quarta est honorare parentes; quinta est
beneficare hominibus iuxta possibilitatem suam; sexta est
pauperibus helemosinam erogare; septima est tueri alienigenas
et peregrinos; octava est inniti vehementer ad servicia Dei; nona
est vitare fornicationes; decima est habere patientiam; undecima
est esse veridicum; duodecimam est esse iustum; terciadecima
est esse liberalem; quartadecima est offerre sacrificia Deo propter
beneficia populo suo collata; quintadecima est regraciari Deo
propter eventus qui iugiter eveniunt in mundo; sextadecima
est esse verecundum et temperatum et modice contentionis.
Et dixit quod, prout decet regiam dignitatem populum sibi subiectum
esse obedientem ei, sic decet ut sit rex studiosus
circa status eorum plus quam circa suum; quia sic est ipse penes
eos, sicut anima penes corpus. Et dixit: si rex adunare studet
thesaurum per extorsionem et iniusticiam, cogitet quod non est
veritas quia non aggregatur sic thesaurus nisi per depopulationem
terre. Et dixit: si rex omitat investigare populi sui facta, milicie
sue et inimicorum, non erit uno die securus de regno suo. Et dixit:
quam bene est populo cuius rex est bone discrecionis et boni consilii
et sapiens in scienciis, et quam male est ipsi quando aliquid
predictorum deficit ei! Et dixit: cum rex despiciet aliquod
modicum de hiis que facere debet augebitur illud, sicut debilis
infirmetas corporis, cui si non occurritur cum medicina, magnificabitur
et totum corpus molestabitur. Et dixit: si rex eludatur[Page 400]

adulationibus inimici et dulcibus verbis, non habendo respectum
ad opera ipsius, non erit securus quin subito invadatur ab eo,
sicut illi qui leonis saltu subito et ex improvise invaduntur
non possunt evadere mortem. Et dixit: interest regis informare
filium scienciis, qualiter suum regnum conservet et qualiter sit
rectus in populo suo, et qualiter dirigat miliciam suam; nec
permittat eum multum uti venatione aut aliis vagationibus, et
instruat eum eloqui composite, et vitare faciat vanitates. Et dixit:
interest regis quod sua beneficia in bonis viris appareant et in
hiis qui scire nituntur ut, ob hoc, ad predicta proficere melius
innitantur. Et dixit: interest regis ut, cum vult sibi serviri ab
aliquo de suo ministerio, scire (!) prius mores ipsius, et qualiter
se gubernet, et domum suam, et socios; et, si perceperit eum
esse bonorum morum, gubernat rem status sui et observatorem
legis, et toleret pacienter qui contingunt sinistros eventus,
faciat sibi serviri ab eo; si non, detestetur eum. Et dixit: purum
amicum diligentem te, scito meliorem esse fratre [e] patre
ac matre obtante mortem tuam ut hereditet bona tua. Et dixit
quodlibet appetere suum simile. Et dixit: qui non mansuescit
vel acquiescit castigatione blanda, fac eum assuefieri correctione
turpi vel aspera. Et dixit: maiores divitie sunt sanitas corporis
et maior alacritas est satisfactio cordis. Et dixit: obediencia ex
amore firmior est quam obediencia ex donacione et metu. Et
dixit: experientie efficiunt bonas castigationes, et aspectus ad
fines rerum bonam efficit fidelitatem. Et dixit: melius est in hoc
mundo et nobilius fama bona, et in alio mundo exclusio a pena.
Et dixit: valentius est tacere quam loqui cum ignorante, et solitudinem
querere quam iungere se malis. Et dixit: quando rex
est maleficus, melius est ei qui non noscit eum, quam ei qui
magnum locum habet cum eo. Et dixit: melius est stare cum
paupere sapiente quam cum divite ignorante. Et dixit: per sapientiam
acquiratur humilitas, bona voluntas, pietas et privatio[Page 401]

peccatorum. Et dixit: non recte agit qui querit sapienciam non
legendo et non laborat studens in eadem acquirenda; et ille qui

cogitat eam habere cum quadam habilitate est ignorans. Et dixit: qui deficit in eo quod tenetur creatori suo, multo magis deficit in omnibus aliis bonis operibus. Et dixit: non credas illi qui dicit se scire veritatem et facit contrarium illius. Et dixit: sicut pueri utentes comedere dulcia, si prohibeantur, non omittunt illa comedere ita ignorantes se appetitu corporali non esuriunt, nec vitam diligunt nisi propter se; et sapientes non diligunt vitam nisi bona operentur, et dimittunt delectationes mundi quia nocent; tamen sunt diversarum operationum et voluntatum, et similium formarum. Et dixit: qualiter coequari possunt hominum opera qui conantur ad opera perfectiva et perpetua proseguenda, cum operibus illorum qui non nisi in obtinendis suis voluptuosis exercitiis innituntur?. Multum interest inter illum qui nititur inquinare se immundiciis in hoc mundo nocivis et in alio, et inter illum qui nititur in deposito firmato in celis. Et dixit: non reputatur studiosus qui omittit iuvativa et laborat in nocivis. Et dixit: amara et aspera sapientes tolerant, quasi sint dulcia ut mel, eo quod sciunt finem illorum esse iuvativum. Et dixit: quam bonum est hiis benefacere qui merentur, et quam utile; et quam malum est non merentibus, et inutile! Quia qui hoc facit perdit laborem suum; nam qui bene facit non merentibus est ut pluvia in arena que ibi perditur. Et dixit: felix est qui noctescit faciendo quod convenit, et qui non accipit ex mundo nisi id quod excusari non potest, et qui operatur bona et prohibet male dum vivit in mundo. Et dixit: non decet iudicare hominem ex dictis, immo ex operibus,[Page 402]

quia dicta pro maiori parte vana sunt, opera vero consecuntur comoda et damna. Et dixit: cum helemosina datur debilibus indigentibus prodest manifeste sicut medicina que convenienter offertur infirmis eos sanat; et helemosina data non egentibus est sicut medicina disconvenienter infirmis oblata. Et dixit: qui elongatur a sordibus et facit quiescere visum et auditum suum ab ipsis felix est. Et dixit: decencius est ex toto tempore vite hominis quod expenditur in servicio Dei bona operando; et mediocre est quod expenditur in necessariis quibus excusari non potest in vita, sicut in comedendo, bibendo, dormiendo et curando infirmitates contingentes; et peius est quod expenditur in malis operibus.

HERMES in Egipto natus fuit, et Hermes in greco dicitur, Mercurius latine, et in ebrayco Enoch; qui fuit filius Jared, filii Macthalaleb, filii Quenam, filii Enoy, filii Sed, filii Adam. Et fuit ante magnum diluvium quod mundum submersit; post quod fuit aliud diluvium quod submersit Egiptum tantum. Et recessit Hermes de Egipto et ambulavit totam terram octoginta et duobus annis, invitans omnes ad obediendum Deo cum septuaginta et duabus linguis, et construxit centum et octo villas et instruxit eas scientiis. Et fuit primus inventor scientie stellarum; et stabilivit omni populo cuiuslibet climatis legem pertinentem et convenientem suis opinionibus. Cui obedierunt reges et tota terra, et habitantes insulas maris. Et invitavit omnes ad legem Dei et ad confitendum veritatem, et ad horrendum[Page 403]

mundum et observandam iusticiam et querendam salvationem alterius mundi. Et mandavit fieri orationes et ieiunare die sabbati quolibet mense et expugnare inimicos fidei, et dare hiis qui Dei sunt peccuniam ut auxiliarentur per eam debiles et impotentes; et prohibuit eos comedere carnes porcinas et zebrarum et camelorum, et alios similes cibos. Et inhibuit eos quovis inebriari vino, et stabilivit festivitates multas certis temporibus, et offerre sacrificia, aliqua ex eis in introitu solis, in principio signorum, et aliqua in prima visione lune et in coniunctione planetarum, et etiam quando planete intrabunt domos suas proprias et exaltationes suas, aut in aspectibus planetarum. Et offerebant sacrificia de rebus omnibus, de floribus scilicet rosas, et de granis ordeum et triticum, et de fructibus uvam et de potibus vinum.

Et dixit: nemo sufficit regraciari Deo de bonis que facit sibi. Et dixit: qui adherere voluerit sapientie et facere bona opera, elongari debet ab ignorantia et a malis operibus sicut bonus artifex sciens instrumenta sua qui, cum vult suere, sumit instrumentum proprium, deserens instrumenta carpentarie, et cum vult scribere sumit instrumentum proprium, deserens instrumenta sutorie; eodem modo est amor huius mundi et amor alterius: nunquam enim communicare possunt in corde uno. Et

dixit : o homo, si timeres Deum et timeres vias ducentes ad malum, non caderes in illas. Et dixit: non te alliciat voluptas carnalis et mundi huius dulcedo que curam de anima tua interdiciunt, nec sis sicut qui suffocatur in aqua despiciens, propter rem ponderosam quam diligit, in fundo niti qualiter evadat ab aqua, immo propter illam tollendam exponit se suffocationi[Page 404]

et perdit se cum illa. Et dixit: non cognoscunt homines excellentiam Dei nisi quia eos conduxit ad suam servitutem per prophetas suos dilectos, qui locuti sunt per spiritum sanctum, qui eos duxerunt ad Dei mandata et observanciam legum eius, et incedere vias que placeant ei, que ducant ad eternam vitam et gaudia sempiterna. Et dixit: non exaltetis clamores ad Deum cum ignorantia nec cum voluntatibus corruptis, nec sitis ei inobedientes et prevaricatores sue legis; nec velit aliquis vestrum id facere socio quod nolit per alium sibi fieri. Et sitis concordet et diligentes vos ipsos invicem, et utamini ieiuniis et orationibus cum voluntatibus puris et mundis, et conemini ad opera bona, dantes debita Deo complete. Et sitis humiles vitantes superbiam ita quod producant bonos fructus opera vestra; et elongetis vos a societate latronum et fornicatorum et utentium malis operibus. Et dixit: ne sitis periuri, adhereatis veritati, et ait verbum vestrum sic, sic, et non, non. Nec iurare faciatis mendaces quia participes eritis peccatorum quando scietis eos peccasse. Commendatis vos Deo qui scit secreta et iudicabit vos in equitate, die quo remunerabit bonos pro bonis operibus, et facientes mala pro malis puniet. Et dixit: sciatis pro certo quod timor Dei est maior sapientia et maior delectatio et est ille a quo fluit omne bonum et aperit portas intellectus et sensus. Deus enim quia dilexit servos suos dedit eis discrecionem et statuit proprios prophetas et ministros perfusos spiritu sancto, patefaciens eis secreta legis et veritatem sapientie eo quod vitent errorem et sequantur rectum. Et dixit: utamini sapientia et prosequamini legem et assuescatis mansuetudine et ornetis vos bonis documentis, et cogitetis bene in vestris rebus non vos precipitantes in eis, et multo magis in puniendis malefactoribus, et caveatis ut non[Page 405]

oporteat vos penitere; et in excessu talis vie excludentur anime vestre a servitute ignorancie, nec obesse poterit etiam lascivia iuventutis. Et dixit: si aliquis vestrum egredietur modum, utens aliquo quo peccatur, vitet istud, non decipiens se propterea quia bene subtraxit ab eo, et propterea alias revertatur ad idem; quia, licet non puniatur pro eo in isto mundo, punietur in die grandis iudicii et affligetur grandi pena absque aliqua pietate. Et dixit: corrigite vos correctionibus quibus Deus vos correxit et sequamini sapientes, discentes ab eis virtutes bonas; et sint vestra desideria elevata ad acquirendam bonam famam, nec exaltetis ea ad maleficia nec ad res fallaces. Et dixit: cavete vos a malis cibis, et vitetis lucra vilia que, sicut replebunt bursas vestras pecunia, sic vacuabunt corda vestra divina gratia. Et dixit: honorate bonos et malos, bouos scilicet ob suas bonitates, malos ut non offendamini ab eis. Et dixit: cavete ab eis qui non gubernant se veritate, sed tantum audiunt eam et non operant per illam. Et dixit: non paretis laqueos ut noceatis hominibus, nec caute conemini ad dampnificandum eos; nam ista est res que non abscondetur quia, licet non cognoscatur a principio, cognoscetur finaliter. Et dixit: addatis amorem fidei cum amore sapientie conantes viriliter addiscere eam; et si poteritis hoc facere quod fiat toto tempore vestro, in mundo isto et non in altero fiat, quia hoc lucrabimini et de nobili virtute erit maior profectus quam thesaurizare aurum et argentum vel aliam pecuniam, quia thesauri huius mundi non durant, et thesauri alterius mundi durant et non finiuntur. Et dixit: sitis idem intus et extra in hiis que loquimini ad invicem, nec sit quod de linguis exprimitis diversum ab eo quod reconditis in corde. Et dixit: obediat vestris principibus et humiliat vos vestris regibus, et honoretis vestros maiores et alios ministros vestros. Diligite Deum et veritatem et[Page 406]

consulatis fideles, ut possitis securi penitentes fieri et salvi a culpis. Et dixit: sint ora vestra ad laudes in hora tribulationis et refrigerii, et tempore paupertatis et divitiarum. Et dixit: non comendatis vos nisi ex vestris operibus, nec iudicetis iniuste; et diligite magis paupertatem cum bono opere quam divicias cum peccato, quia pecunia perditur et bona opera remanent. Non velitis multum ridere nec unquam deridere. Et dixit: si percipiatis

in aliquo aliquam lesionem vel aliquam maculam, aut aliam deturpationem, non dehonestetis vel derideatis eum, sed redeatis ad Deum quia omnes estis creati ex una materia, et qui deridet non assecratur ut ad tempus non incidat in idem; quare decet, quando videbitis quicquam et tale, elevare oculos ad Deum gratificantes eidem de salute vobis concessa et petentes misericordiam, quod vos custodiat. Et dixit: quando disputabunt vobiscum contarii fidei cum asperis et fortibus verbis, non respondeatis equo modo eisdem, sed cum mansuetudine et humilitate dicentes Deo: domine, dirige creaturas tuas et duc eas ad bonam credenciam et salvationem eternam. Et dixit: multiplicetis taciturnitatem in consiliis nec solvatis linguas vestras coram inimicis caventes ne eis, quibus vos percutiant, arma detis, minuantes contensiones et superfluitates verborum. Et dixit: vita anime consistit in sapientia, et sapientia in credendo Deo; et credere in Deum est servare legem, quia sapientia et credere in Deum non dividunt se ad invicem, nam, una existente, altera erit, et si non erit altera, nec ipsa. Et dixit: non poteritis esse iusti si non habueritis timorem Dei, cum quo acquiratis spiritum sanctum qui aperit vobis portas paradisi per quas ingredientur anime vestre ad animas mundas que merentur vitam eternam. Et dixit; cavete a societate malorum et invidorum et hebriorum et ignorantium. Et quando cogitabis bene facere, bene facias incontinenti priusquam impediaris et retraharis voluntate[Page 407]

perversa, et benefaciendo desistas. Et dixit: non invidet quis malo cum bene sibi succedit, quia stabilis non est, nec erit boni finis. Et dixit: fac filios tuos a pueritia discere, priusquam procedant multum et extrahantur a malicia, et peccabis in eis. Et dixit: sint desideria vestra levata ad Deum, orantes cum mundis voluntatibus, et sic vos exaudiet et respondebit vobis et auxiliabitur quocumque ibitis, et liberabit vos a laqueis diurnis, et humiliabat capita inimicorum vestrorum sub pedibus vestris. Et dixit: quando incipietis ieiunare, mundificetis animas vestras ab omni sordicie ieiunando puris cordibus et exclusis a pravis cogitationibus, quia Deus reputat immundas maculatas voluntates; et sicut abstinete ieiunando a cibis, ita a peccatis abstinence; non enim satisfit Deo abstinendo a cibis solum, sed a viciis et peccatis omnibus; in quo enim satisfacit ieiunium, cum opera fuerint inhonesta et voluntates immunde? Et dixit: visitetis in vestro ieiunio domos Dei, insistentes orationibus et clamoribus, non servientes Deo propter pompam, sed cum mansuetudine et humilitate; et cum festa celebratis existentes ylares in domibus vestris cum familia, recordemini pauperum largientes eis helemosina et beneficia. Et dixit: confortetis angustios et tristes, redimatis captivos, curetis infirmos, induatis nudos, cibetis famelicos, sicientes potetis, recipiatis peregrinos, satisfaciatis creditoribus, tueamini iniuriam patientes. Et dixit: non addatis afflictis afflictionem, immo confortetis et iuvetis eos placidis verbis et ornatis operibus, et si sint homines qui dampnificaverint vos, parcatis eis, sufficiendo vobis quod paciuntur[Page 408]

ex penis. Et dixit: nitamini amicos acquirere; examinantes eos, priusquam confidatis, consideretis, nec confidatis priusquam experiamini, ita quod non dampnificemini per eos, ne vos penitere contingat. Et dixit: quem Deus exaltavit in mundo non reputet se maiorem socio, imo exaltationem ipsam reputet nullam, quia Deus creavit pauperes et divites eodem creationis modo, respectu cuius omnes sunt equales. Et dixit: non egrediatur ex ore nostro, indignationis tempore, verbum turpe, quia hec est res dehonestans et ducens ad penam. Et dixit: qui compescit iram et refrenat linguam et moderatur verba et mundat animam, exuperat omne verbum. Et dixit: non convenit querenti sapientiam ut querat eam ob meritum et precium, sed propter delectationem que est in ea, eo quod preciosior est omnibus aliis rebus. Et dixit: vera sapientia est munus fortune et iudicatrix omnis discipline, mortificatioque malorum. Et dixit: melior et nobilior rex est qui in regno suo commutat legem malam propter bonam. Et dixit: liberalitas est esse liberalem tempore paupertatis vel necessitatis et patientia est parcere cum adest possibilitas vindicandi. Et dixit: qui honorat sapientes, diligit iusticiam, et bona operatur, et qui nititur perquirere sapientiam et bonos mores, invenit quod appetit de hoc mundo et de alio. Et dixit: infelix in hoc mundo et in alio qui caret sensu, sapientia et doctrina. Et dixit: qui non docet que scit in scienciis

et moribus bonos, augebitur per illud ignorantia malorum in eo; et qui denegat scientiam apto, privatur suo beneficio in hoc mundo, nec denegat eam nisi ignarus; et si modice non fuerit scientie, erit vilis voluntatis et invidus. Et dixit: melior est liberalis in scientia, quam in divitiis liberalis; nam de scientie reliquitur bona fama, cum divitie annullentur et scientie perpetuentur.[Page 409]

Et dixit: decet hominem non odire nec offendere illum qui eum offenderit; imo benefaciat et mitiget motus et verba eius, quia pociora opera sapienti sunt tria, scilicet facere de inimico amicum, et de nesciente scientem, et de malo bonum. Et dixit: bonus est ille de cuius bonis percipiunt alii, et qui reputat aliorum bona propria. Et dixit: quam modicos est profectus scientie multe cum cupiditate multa, et quam multus profectus scientie modice, retrahendo animam a cupiditate. Et dixit: mors est sicut sagitta emissa, et vita est in quantum elongatur a te. Et dixit maior est pietas misereri insipientum quam peritorum. Et dixit: cui non sufficit quod habet non confert habere multa. Et dixit: delator sive suggestor vel mentitur cui suggerit, vel est proditor eius quem defers. Et dixit: derisio facit perdere timorem sicut ignis ligna. Et dixit: invidus est amicus illius qui est in presencia et inimicus illius quando distat, et est amicus nomine, inimicus vero ratione. Et dixit: invidus non natus fuit nisi ut despiciat. Et dixit: multum securus est qui est sine culpa et multum menticulosus qui iacet in culpa. Et dixit: non obediat cupiditati vestre quia ipsa non obedit discretioni vestre. Et dixit: cum ire habet causam scitam est levis, et cum non habet est gravis ad sedandum. Et dixit: qui dat alii consilium, incipit proficere sibi. Et quesiverunt ab eo: quid est quod molestat hominem gravi impedimento? Respondit: ira et invidia, et magis ambobus cogitatus. Et interrogaverunt eum: qualiter sapientes incedunt magis ad portas divitum, quam divites ad portas sapientum? Et respondit: quia sapientes sciunt profectum divitiarum et divites ignorant profectum scientiarum. Et dixit: discretio sine patefactione est sicut arbor infructifera. Et dixit: oportet sapientem nolle obedire alteri, ex quo impotens est anime sue. Et dixit: qui cognoscit ignorantem sapiens est, et qui non cognoscit ignorans est, et[Page 410]

qui ignorat seipsum non cognoscit alium. Et dixit: homines sunt duorum modorum, aut quesitor non inveniens que querit, aut inventor non perficiens quod invenit. Et dixit: sapiencia est sicut margarita que invenitur in concavis profundi maris, que haberi non potest nisi per scrutatores qui sciunt descendere ad profundum maris. Et dixit: non potest esse perfecti sensus qui complete castitatis non est, nec est complete scientie qui non est perfecti sensus, et qui est perfecti sensus est completus discretione. Et dixit: disciplinatio est ordinatio sensus, quo exornanda est discretio quantum possibile est. Et dixit: discretum non permittunt letari vicia propter id quod apparet in suis bonitatibus. Et dixit: castigare unum clam et alium palam est dehonestum. Et dixit: excusatio hominis frequenter a culpa, facit recordari erroris. Et dixit: non remittitur peccatum, qui id inficiatur. Et dixit: ignorans est parvus, licet decrepitus, et sapiens est maior, licet etate sit iuvenis. Et dixit: mundus despicit illum quem consueverat honorare, et terra comedit illum cui consueverat dare comedere. Et dixit: ira ignorantis consistit in verbo solo, et sapientis in operibus. Et dixit: mortuo invident pauci et de eo multi menciuntur. Et dixit: de invido sufficiat tibi eum tristari quando letaris. Et quesivit ab eo quidam senex, si contraheret; respondit: qui non potest in mari natare, qualiter poterit alium supra collum suum portare natando? Et dixit: cave a societate mendosi, que est velut Sarab, que lucet et non proficit; Sarab est restucii (!) lucentes, qui a longe videntur aque. Et dixit: studiosus est quem non impedit magna delectatio in hiis que suo exitu operari intendit, nec impedit quequam magna occasio quin habeat quod tueatur ab ea. Et dixit: qui[Page 411]

presumit contra alium propter te, presumet pro alio adversum te. Et dixit: qui commendat te de eo quod in te non est, non es securus quin iniurietur te de eo quod in te est. Et dixit: ira rationem perturbat quousque bona operanda non cognoscat, nec mala vitanda. Et dixit: qui laborat pro eo quod non proficit, perdit propterea id quod proficit. Et dixit: verecundia quam quis patitur commissione malorum, turbat concupiscentiam

eorundem. Et dixit: quando errabit penes te amicus, non recedas ab eius amicitia donec remaneat aliquid in eo in quo ipsum videaris posse rectificari. Et dixit: bonus amicus est qui obliviscitur eius in quo erravit erga eum amicus, nec beneficia impensa impropere. Et dixit: melius est te rectificari a te ipso quam ab altero. Et dixit: mali socii sunt sicut arbor ignea, cuius ramus unus alium comburit. Et dixit: responsio super aliquo verbo turpi est tacere, et alicuius contentio est cedere alteri. Et dixit: maius quod Deus fecit in hoc mundo est homo, et maius quod est in homine est ratio per quam servat iustitiam et secedit a peccato. Et dixit: fatuus non sentit aliquod turpe, et ignorans, senciens rem unam, credit aliam, et timorosus timet quod non sentit. Et dixit: commendabilior res est apud celum et terram lingua profitens veritatem Et dixit: homines necessario debent habere bonum et malum, ergo ille est fortunatus quo bona percipiuntur, et infortunatus quo mala recipiuntur. Et dixit: decet reges non dare posse nec dominium nisi pietatem habentibus; et ex hiis diligit omnes sicut bonus pater bonos filios. Et dixit: finis anime rationalis est scire veritatem, et anime concupiscibilis est vita, et finis anime irascibilis est pax. Et dixit: sufficet iniuriam patienti peti indulgentiam ab errante. Et querentibus ab eo: quid est liberalitas? Respondit: liberalitas est quod tu liberes te a pecunia, et quod de accipienda pecunia ab alio absolvaris. Et dixit: propter notos dona ignotis, et[Page 412]

indulgeas illis qui obsunt tibi propter illos qui prosunt. Et dixit: vita huius mundi est ita brevis quod homo non debet corde concipere alium odire. Et dixit: statue iram tuam indirecto paciencie tue, et tuam ignoranciam in directo tue sapiencie, et tuam oblivionem in directo tue memorie. Et dixit discipulo suo: musice move cordam secundum motum fortitudinis; intelligis que dico? Et respondit: sic; et dixit: non video quod tu intelligas. Respondit discipulus: qualiter vides hoc? Dixit: non video te ylaem, et intelligendi signum est ylaritas. Et dixit: utilis est verecundia in puero, quia ostendit quod erit boni sensus. Et dixit: melius est quod benefacias cum bene succedit, quam quando male successerit, quia tunc forte non suppetent facultates. Et dixit: qui moratur in provincia in qua non est dominus ultor et iudex iustificator et medicus sapiens, et forum abundans, et fluvius currens, se et suam pecuniam exponit fortune. Et castigavit regem Amon dicens: primum quod tibi precipio est timere Deum et obedire eidem. Et dixit: qui dominatur hominibus necesse habet habere memoriam semper trium rerum: prima est gentis sibi subiecte; secunda est quia, licet sint sub suo dominio, ut liberi sunt et non ut servi; tertia est quod sua dominacio curare non potest nisi modico tempore. Igitur oportet te, o Amon, servare animam tuam bona voluntate et verbo veritatis; nec debes vacare de impugnando in Deum non credentes et cogendo eos ad subeundum sui obedienciam. Nec concupiscas eorum pecuniam, qua dimittas eos in Dei inobediencia, nec velis habere divitias nisi fuerint de bene acquisitis. Et scias quod populus obedit benefacienti, nec potest bene accidere regno nisi quando habundat populo; nam quando dominus carebit[Page 413]

eo, erit dominus sui tantum. Igitur attendas facta sua, sed prius cogita de anima tua muniens te ex eis quibus dirigaris in alium mundum et sed dirigeris in factis huius mundi. Et si forte contingat super huius mundi negociis specialiter bellicis te adesse presentem, caveas tibi sollicite de hostium inopinato insultu; et oportet, quando presentabis te in pugna, ut sollicitus sis in omnibus tuis actibus et caveas tibi de inopinando insultu quo possis pati repulsam, quia repulsiva cessio contingens exercitui, non potest cito resumere. Et multiplica excubia ut possis semper scire continenciam inimici, cavens ne te decipiat. Et cum aliquid preceperis, scruteris si ut precepisti perfecerint, et si non scrutaberis minus timoris habebunt. Et cum precipies scribi cartam aliquam, non sigilles priusquam legas, quia reges plurimum decipiuntur ex hoc. Et cave solacium habere cum aliquo, nec patefacias cordis tui secreta nisi propriis tuis de quibus bene et plene confidas; et sic ages prudenter quod tam milicia quam populus solacientur libenter tecum super laudabili gubernacione qua gubernes eosdem. Et sit tuum dormire quantum sufficit ad quietem tui corporis; nec intromittas te nisi de rebus veris ut sint tua opera veritas et non derisio; et in exequendis que oportuerint non exhibeas moram. Et si te prevalere contingerit,

in parcendo sis pius et consideres que remittis; et attende penes operantes magnam alkymiam exhylarans eos, et tales sunt agricole. Nam non est alkymia aliqua sicut fecundare terram cum plantationibus et seminationibus, quibus populus gubernatur, milicia multiplicatur, et domus divitiis replentur et regna roborantur; ergo oportet rem huiusmodi conservare. Et convenit ut honores quemlibet iuxta conditionem suam et iuxta sui scientiam, publicando honorem quem feceris ei, ut populo manifestentur bona merentes. Et benefacias querenti scienciam[Page 414]

ut accrescat voluntas eius ad eam acquirendam, et intellectus illustretur, et eximatur cogitatio ab hoc mundo; et provincia recipit exinde profectum inferens cito penam malefactoribus terre ex quo constiterit de delicto. Et qui impedit regnum tuum, decapita eum publice ut alii terreantur; et latroni incidatur manus, et spoliatores stratarum suspendantur ut strate fiant secure; sodomite comburantur, fornicatores fustigentur quinquaginta percussionibus, et fornicatrices lapidentur si vere probentur. Caveas tibi a sussurrantium eloquiis quos cito punias et punitos publices. Et quiescere fac cor tuum ab exercitio vanitatis; et recorderis requirere captivos semel quolibet mense, et liberandos liberos et befacias eis, et puniendos punias incontinenti; et quibus videris terminum indulgendum donec constet de negotio quo, eos precipias custodiri. Et caveas ne innitaris tui tantum consilio, sed consules illum qui fuerit bone discrecionis et etatis provecte, quia in pluribus est expertus; et plurimum utaris consiliis in magnis negociis. Et invento quod rectum sit in aliquo eorum, illud assumas, alioquin utiliori consilio acquiescas et Deus te dirigat. Et dixit: nobilis est bonitatibus utens, et maiores bonitates sunt justitia, castitas, et concessio liberalitatis antequam petatur. Et dixit: decet quemlibet querere scientiam et roborare eam in se, nec terreatur a supervenientibus, nec extollat se nobilitate habita, divitiis aut dominio; voluntas vero, dicta, et opera equentur et sic assecurabit eum Deus et successores suos. Et dixit: non potest aliquis evadere in die iudicii nisi propter tria, scilicet propter discrecionem, propter castitatem et propter opera bona sua. Et dixit: omnia pereunt nisi bona opera et omnia possunt permutari nisi natura, et omnia possunt rectificari nisi mores mali, et omnia possunt vitari preter[Page 415]

Dei iudicium. Et dixit: non est mirum si sit bonus qui amisit cupiditates, sed mirum est quod sit bonus, cupiditatibus remanentibus in eo. Et dixit: non incontinenti infligas penam peccatorum sed intermittas spacium ad exculpandum. Et dixit: error sapientum est sicut fractio navis que, dum submergitur ipsa, facit submergi multos. Et dixit: fiducia est servitus quedam, et diffiducia est libertas. Et dixit: quando rex non potest reprimere suos sensus nec suas cupiditates, qualiter potest suos proprios famulos reprimere, quomodo poterit populum et distantes a se? Ergo decet regem incipere dominari sibi, alienari a dominio aliorum, et deinde aliis dominari. Et dixit: decet regem suspiciosum non esse, quia suspicio facit a se homines elongari, cum apud regem suspiciosi et maxime detractores et delatores habundent, quos si rex in domo sua patitur, familiares fide dignos et consiliarios sufficienter habere non potest. TAC dixit: qui non continet sensum sub posse suo, non continet iram. Et dixit: rex sapiens allecat cum mansuetudine et placiditate quod non impetrat cum displicibilitate et superbia. Et dixit: per id quo congregat rex pecuniam, per id idem perdit eam, et per id quo congregat eam putatur perdere, videlicet largiendo et distribuendo pro meritis, congregat; idem populabit villas suas et opprimet securus inimicos. Et dixit: decet regem studiosum non discordari cum impotenciori. Et dixit: cum rex vincit suos inimicos oportet eum sequi bonas consuetudines in iusticia, in liberalitate pecunie, in patiencia, in indulgencia et in aliis bonis et magnis consuetudinibus que[Page 416]

alliciunt etiam inimicos. Et dixit: si rex congregavit thesaurum et non expendat ubi convenit, aut perdet illum aut regimen. Et dixit: in concordia statutorum consistit lex et ex consistencia legis consistit regnum, et per consistenciam regni populatur mundus. Et dixit: homines regis sunt cum eo velut ventus cum igne, nam ignis, quando accenditur absque vento, eius opus debilitatur et tardatur eius crematio. Et dixit: decet regem cognoscere adherentes sibi, quorum quemlibet statuatur suo loco iuxta

cuiusque discrecionem, sapienciam et fidelitatem, providendo unicuique secundum exigenciam meritorum; nec sint talia dona quod non acceptentur, ut placeat ipse in collatione donorum, et subditi magis ad obedienciam animentur. Et dixit: decet regem non uti homine mendoso et pravo, sperando, cassa affectione, ipsos posse suam propriam detestari naturam, cum gravissimum sit suas proprias detestari naturas. Et dixit: non addiscas ab hominibus omnia que sciunt, immo decet quod addiscatis a commendato in omnibus omnia, et a commendato in re una, rem illam tantum; quia matianum non delectat solum odore suo, verum etiam sapore, et rosa non nisi odore tantum delectat: folium autem sanius non sapore vel odore, sed usu tantum. Et eodem modo competit ut addiscas a commendato in sermone et discrecione totum quod habet; et ab eo qui commendatur in verbo solum illud tantum addiscas. Et cautus sis eodem modo quod non labores ad docendum nisi aptum doceri; nam excerpere mel ex flore potest apis et non homo. Et dixit: convenit habenti scienciam ut in ea discipulos instruat. Et hec erat scriptura sigilli sui: cum primaria causa me teneo. MACHALQUIN dixit: qui diem cognoscit non obliviscitur apparatus. Et dixit: homines recipiunt bona creatoris sui, licet[Page 417]

peccent; ergo tenentur regraciari tunc maxime sibi, et implorare veniam pro peccatis. Et dixit: quantum temporis spacium dehonestatis, et quando ad aliud processistis, comendatis illud! Et quot negocia abhorruisti in principio ipsorum, que in fine desiderastis! Et [dixit]: qui dimittit mundum ut serviat Deo est in inicio sicut asinus molendini qui circuit et causam ignorat. Et dixit: melius est egere necessariis quam querere a quo diffidit. Et dixit: donum malo concessum maliciam auget; et non noscenti concedere est beneficio spoliari; et docere insipientem est ipsum stulciorem facere; et querens illum beari, despicit semet ipsum. Et dixit: minor eos qui cavent a cibis nocivis ne hinc nocumentum incurrant, nec cavent a peccatis alium facientibus perdere mundum. Et dixit: multiplicare silentium quia est a periculis evasio, et utamini veritate que est disciplinatio verborum. Et dixit: qui pius est vobis, vos deceptione absolvit et qui odit vos annectet. Et dixit: convenit habenti legem concedere amico suo pecuniam, noto bonum aspectum et inimico iusticiam non negare, et se ab omni eo quod coinquinatur cohercere. HOMERUS fuit versificator antiquior apud Grecos et maioris status inter eos; qui fuit post Moysen quingentis sexaginta annis. Qui edidit multas sapiencias et nobiles versus, et omnes versificatores grecorum subsequentes eum imitati sunt eum, et discentes ab eo incesse runt viam eius. Ipso igitur captivato et tamquam servo vendicioni tradito vel exposito, quesivit unus ex eis qui volebant eum emere unde erat. Et respondit:[Page 418]

de patre et matre sum. Et dixit: vis quod te emam? Et respondit: qualiter consulis me de tua pecunia? Et dixit ei: ad quid bonus es? Et respondit: ad liberandum. Et moratus est in captivitate longo tempore et ad finem liberaverunt eum. Erat vir bone magnitudinis, pulcre forme, remissi coloris, magni capitis et instrictus inter humeros, habens gravem aspectum et in facie signa variolarum; et erat multorum verborum, dehonestator illorum qui eum precesserunt, intromissor et laudator dominorum, finiens vitam in centum et octo annis. Et ista sunt dicta eius. Et dixit: discretus est ille qui linguam suam refrenat. Et dixit: querere consilium est quies tibi et labor alteri. Et dixit: fraudacionis denegacio vita est amicitie. Et dixit: sequaris honos et eris unus eorum, sequaris malos et eris unus ex eis. Et dixit: liberalis est qui cogitat, in negociis puris et mundis, que decent, et quando viderit ea, perficit priusquam eveniat necessitatis occasio et impedimentum. Et dixit: quando cor est tutum, existit sapiencia et pollet virtutibus. Et dixit: os ostendit quod iacet in corde. Et dixit: fraudes sunt fructus cogitationis inepte. Et dixit: multa taciturnitas facit hominem esse inscium. Et dixit: perfidia aufert discrecionem et levitas continenciam. Et dixit: aspectus ostendit quod iacet in corde plusquam verbum. Et dixit: qui previdet in factis suis, securus est quod non peniteat. Et dixit: qui non gratificat bona que conferuntur sibi, invidet illi. Et dixit: mirum est de illo qui potest assimilari Deo et conatur assimilari bestiis. Et dixit: non convenit operari vel dicere aliquod de quo accusatus doleas quia

si feceris, eris accusator tui. Et dixit: acquiratis bonitates quia propter eas perdentur malicie. Sapiens quidam, per fractionem[Page 419]

navis summersus, ductus est ad insulam impetu maris, vivus et descripsit in arena figuram quandam geometricam. Videntes eum naute, duxerunt illum ad regem illius loci, propter quod rex mandavit per provinciam hoc modo: o vos, homines, nitamini ea lucrari que remaneant, si alia omnia per naufragium in mari perdi contingat: et talia sunt vere delectationes scienciarum et bone operationes. Et dixit: homo defert super humeros suos duo onera, unum ante et aliud retro; ante tenet errores et vicia aliorum, retro suos proprios. Et dixit filio: reprime tuas cupiditates, quia pauper est qui gubernatur per eas. Et dixit: si fueris paciens apreciaberis, et si superbus fueris despiceris. Et dixit: homo bonus melior est omnibus animalibus terre, et malus vilior est animalibus omnibus terre. Et dixit: sapiencia est posse operari per scienciam. Et dixit: melior est cognitio quam ignorancia, quia per cognitionem vitatur cadere in ignem et per ignoranciam nullum vitatur periculum seu damnum. Et dixit: iste mundus est domus mercationis, et est infortunatus qui recedit ab eo cum perdicione. Et dixit: per coactionem magnam consequitur homo quod vult, et instrumentum dominii delectatio cordis. Mansuetudo eloquii aufert tedium; promittere et non complere privat bonitatem, et qui incipit bene facere et non complet, non potest ei mereri. Et dixit: qui habet posse aliquod in isto mundo non potest gaudere, et qui non habet despicitur. Et dixit nihil est vilius quam mentiri, et non habetur bonum aliquod in mendoso. ZALON Athenis leges statuit. Zalon composuit libros plures predicationum bonarum. Qui fuit de Athenis que erat civitas sapientum illo tempore, et fecit versus quibus caverent homines proprias voluntates ad utendum sedicionibus et occidendum se cum inimicis. Et ista sunt dicta sua. Et dixit: quando volueris aliquid facere, non sequareis voluntatem tuam omnino, immo queras[Page 419]

navis summersus, ductus est ad insulam impetu maris, vivus et descripsit in arena figuram quandam geometricam. Videntes eum naute, duxerunt illum ad regem illius loci, propter quod rex mandavit per provinciam hoc modo: o vos, homines, nitamini ea lucrari que remaneant, si alia omnia per naufragium in mari perdi contingat: et talia sunt vere delectationes scienciarum et bone operationes. Et dixit: homo defert super humeros suos duo onera, unum ante et aliud retro; ante tenet errores et vicia aliorum, retro suos proprios. Et dixit filio: reprime tuas cupiditates, quia pauper est qui gubernatur per eas. Et dixit: si fueris paciens apreciaberis, et si superbus fueris despiceris. Et dixit: homo bonus melior est omnibus animalibus terre, et malus vilior est animalibus omnibus terre. Et dixit: sapiencia est posse operari per scienciam. Et dixit: melior est cognitio quam ignorancia, quia per cognitionem vitatur cadere in ignem et per ignoranciam nullum vitatur periculum seu damnum. Et dixit: iste mundus est domus mercationis, et est infortunatus qui recedit ab eo cum perdicione. Et dixit: per coactionem magnam consequitur homo quod vult, et instrumentum dominii delectatio cordis. Mansuetudo eloquii aufert tedium; promittere et non complere privat bonitatem, et qui incipit bene facere et non complet, non potest ei mereri. Et dixit: qui habet posse aliquod in isto mundo non potest gaudere, et qui non habet despicitur. Et dixit nihil est vilius quam mentiri, et non habetur bonum aliquod in mendoso. ZALON Athenis leges statuit. Zalon composuit libros plures predicationum bonarum. Qui fuit de Athenis que erat civitas sapientum illo tempore, et fecit versus quibus caverent homines proprias voluntates ad utendum sedicionibus et occidendum se cum inimicis. Et ista sunt dicta sua. Et dixit: quando volueris aliquid facere, non sequareis voluntatem tuam omnino, immo queras[Page 420]

consilium, quia per consilium scies veritatem. Et interrogaverunt eum: quid est difficilius in homine? Respondit: quod cognoscat hoc quod est in eo, et conservet suam legalitatem, et quod non loquatur in quo loqui non debet, et quod non molestet se ex eo quod non consequitur id quod habere conatur. Et dixit: res huius mundi, et statuta, et leges, consistunt sub duobus, ense scilicet et vexillo. Et dixit: non multis precipere [potest] qui sibi soli precipere non potest. Et dixit uni ex discipulis suis: cave a derisione, quia per hoc nascitur odium. Et dixit: non sunt virtutes hominis quas sibi ascribit, sed ille que sibi

ex suis operibus ascribunt. Et interrogaverunt eum, qui esset liberalis. Respondit: qui suarum rerum liberalitate utitur nec est cupidus bonorum aliorum. Et interrogaverunt eum: quid acutius gladio? Respondit: lingua pravi hominis. Et quesivit unus dives: que sunt bona tua vel thesaurus tuus? Respondit: meum est tale quod non potest haberi ab homine mundi absque mea voluntate, et quicquid sibi concedam de meo, meum non diminuitur; et de tuo nemini potes dare aliquid nisi patiaris diminucionem. Et dixit: si volueris quod moretur amor amici tui, sis ei bene compositum et da suo locum errori. Et dixit: non oportet laudare aliquem de pluri quam in eo sit, quia ipsemet patefaciet veritatem et erit, illud quod adiunxeris, tui defectus. Et dixit: patiencia est forte castrum, et acceleratio inducit penitentiam, et fructus exprimendi veritatem est honor. Et interrogaverunt eum qualiter acquiruntur amici. Respondit: honorando eos cum presentes sunt et benefaciendo eis, et commendando eos cum fuerit absentes. Et dixit: bona anima nunquam dolet nec letatur, quia non accidit ei alacritas nisi quando intuetur bonitates rei et non malicias; et accidit ei dolor, qui aspicit ad suas malicias et non ad bonitates; bona vero anima[Page 421]

respicit totum mundum et videt quod eque sunt in eo bonitates et malicie, quare ipsam nec gaudere simpliciter, nec tristari contingit. Et dixit: qui rem querit fine carentem est ignorans. Et perdidit Zalon filium suum et incepit plorare. Cui dixerunt: quid prodest tibi plorare? Respondit: quod prodest, hoc ploro. Et dixit: video quosdam, cum capiunt aliqui aliquem latronem aut malefactorem, reputare eos male facere, licet hoc illi egerint in secreto; et qui reputabant eos malefactores, faciebant opera reprehensibilia publice, et publica sicut privata putabant. Et dixit: rex faciens rectum et servans iusticiam regit voluntates populi sui, et ille qui facit injusticiam et violenciam, regimen illius querit alium qui regnet super se. Et dixit: oportet dominum prius rectificare se ipsum, aliter erit sicut qui conatur rectificare curvam umbram suam plusquam se. Et dixerunt ei: qualiter diriguntur ville? Respondit: cum principes operabuntur secundum legem. Et dixit quod non reputabat pro bono reponere de oportuno sed de necessario sociis, magis quam una die. Et dixerunt ei: rex odit te. Respondit: qualis rex diligit alium ditiolem se ipso, aut bene facere vult alii regi qui est dicior se ipso? RABION fuit magnus defensor suorum proximorum et habuit aliquos amicos contra quos voluit unus rex procedere, credens eos interficere; quo scito Rabion contulit se ad eos deffensus ipsos, cum magna milicia et cum armorum multitudine. Et quando rex scivit hoc congregavit suam miliciam et captum tormentari precepit sicut hominem qui fuit contra dominum suum, et promittens ei se daturum fortem penam nisi[Page 422]

sibi suos socios monstraret. Dixit Rabion: quantumcumque iubeas me penis affligi, non faciam aliquid turpe. Et cum diutius torqueretur, incidit cum dentibus extremitatem lingue sue, prohiciens eam coram rege ut desperaret eum dicere posse rem nocivam suis sociis. Fuit Rabion fusci coloris, competentis magnitudinis, pulcre forme, habens in sua maxilla signum unum, oculorum nigrorum, et fuit magni capitis et difficilis aspectus, elevans semper caput in altum; fuit etiam multorum verborum et delectabilium, bene sensatus, bone discrecionis et bone continencie. Semper tenebat in manu sua virgam unam elaboratam cum smeragdis, et habebat XLVIII annos cum vita finivit. Et ista sunt dicta sua. Et dixit discipulis suis: si perdideritis aliquid, non dicatis: perdidimus illud; sed dicite: restituimus quod nostrum non erat. Et dixit uni discipulo: multiplica amicos qui sunt medicamenta animarum. Et dixit: non convenit sapienti contrahere cum pulchra, quia languebunt multi amore ipsius et propter hoc despiciet ipsa maritum. Et dixit: omne malum stat in delectatione pecunie. Et occurrit ei quidam diciens quod filius eius obierat, nec habebat alium; cui respondit: bene sciebam me filium mortalem habere et non immortalem. Et dixit: non timeas mortem corporis, sed anime mors timenda est. Et dixerunt ei: quomodo dicis hoc cum teneas animam rationalem non mori? Respondit: cum anima rationalis se convertit a natura rationali ad naturam bestialem, licet sit substantia incorruptibilis, mortua reputatur quia perdit vitam intellectivam. Et dixit: vita anime est sublimis et elongata

a morte, nec potest anima devenire ad manus mortis nisi pateant ei occasiones ducentes ad mortem. Et vidit invenem stantem in litore maris, suspirantem propter mundi adversitates, et dixit ei: fili, non suspires ob nocumentum quod habeas; nam si esses multum dives et morareris in medio maris sub periculo corporis et rerum, obtaresne aliud nisi evadere corpus tantum? Respondit: non aliud. Dixit etiam: si esses rex et quereret te aliquis occidere et privare regno, obtaresne aliud nisi evadere corpus a morte? Respondit: non aliud. Dixit Rabion: puta te predicta pericula incurrisse et tandem personam liberam evasisse, et sis contentus status in quo es. Et recessit iuvenis confortatus. YPOCRAS fuit discipulus Esculapii phisici secundi et fuit de genere Esculapii primi a quo et genere suo processere reges in grecia diu. Et ab eodem incepit ars medicine quam ostendit et docuit ipse filiis suis, mandans eis quod medicina extraneos non docerent, immo patres ostenderent filiis et sic procederent semper, quod artis nobilitas semper fixa maneret in eis. Et mandavit eis similiter quod morarentur in medio habitationis terre grecorum in tribus insulis: una dicitur Rodes, alia Cavidas, tertia Cau; et docuerunt medicinam in hiis tribus insulis. Ypocras autem fuit de insula Chau; et perditum fuit studium quod fuit in duabus insulis, et remansit in Chau. Et fuit opinio Exculapii primi quod medicina constaret in experientia tantum, quia medicina scita non fuit nisi causa experientie. Et hoc modo fuerunt medicina usi mille et quadringentis annis usquequo apparuit Micius medicus qui tenuit quod experientia

[Page 424]

sine ratione esset discriminosa; et usi sunt hiis duabus opinionibus septingentis annis, usquequo apparuit Bramendes medicus qui experientiam despexit dicens quod ex ea error proveniebat, quare solum rationi innisus est. Qui dimisit post, tres discipulos, qui discordantes facti sunt: quorum unus innixus experientie tantum, alius rationi tantummodo, tertius ingeniis et incantationibus adhesit. Et duraverunt hoc modo annis septingentis usquequo apparuit Plato medicus qui, investigans eorum dicta, cognovit quod sola experientia erat periculosa et ratio sola non sufficebat; et muniens se ambabus opinionibus, combussit libros de ingeniis et incantationibus et libros factos de experientia tantum, item factos super rationem tantum; factos autem super utranque opinionem retinuit et conservavit. Deinde obiit et remansit ars medicine apud suos discipulos prout ipse composuit et confirmavit. Qui fuerint quique, statuentes unum ipsorum ad medendum corporibus, secundum ad minuendum et comburendum, tertium ad medendum vulneribus, quartum super curandis oculis, quintum in solidandis ossibus fractis et ad loca propria reducendis. Post hoc apparuit Esculapius secundus, mille et quadringentis annis transactis; qui, investigans opiniones diversas, opinionem Platonis veram et rectam reperiens, commendavit et adhesit eidem. Et dimisit post se tres discipulos, Ypocratem scilicet et alios duos, quibus mortuis, remansit solus Ypocras, pro suo tempore perfectus virtutibus, utens experientia et ratione. Qui quidem Ypocras, investigans quod ars medicine propinqua erat perdicioni quia perierant illi qui exercitabant in duabus insulis predictis et jam ipse in insula Chau solus

[Page 425]

remanserat in ipsa arte peritus, elegit fore utilius ipsam non tantum apud filios, verum etiam apud quosque idoneos de cetero divulgari. Reiectis igitur ab eadem arte cunctis opinionibus, medicinam ipsam et librorum compilationes, curtatis verbis et clausis reduxit. Et precepit duobus suis filiis iam provectis, quod docerent deinceps omnes, quicumque apti essent apprehendere eam, sive consanguinei sive extranei essent; dicens quod extraneos ad hoc idoneos conveniencius erat eandem artem docere quam consanguineos ineptos: et ita actum est prout ordinavit. Et ita est roborata ars predicta usque in hodiernum diem, nam ipse vivens plures discipulos extraneos statuit, exhiens ab eis sicuti a filiis sacramenta. Unde cum moreretur idem Ypocras, magnum discipulorum numerum tam extraneorum quam filiorum et nepotum ex eis dimisit. Accidit autem quod Azdesser, rex Persarum, missit querendo a Pilato rege Chau insule quod mitteret ad eum Ypocratem, cui dari mandavit centum quintaria auri. Erat tunc regnum grecorum divisum per multos reges, quorum aliqui dabant tributa regi Persarum. Et misit rex insule

Chau Ypocrati, quod accederet ad regem Persarum et mederetur ei et aliis persis super quadam peste que acciderat illis, quia, si non faceret, periculum eveniret sibi et illis de terra sua cum ipse, scilicet Pilatus rex, non haberet posse resistendi mandatis dicti regis Persarum. Cui respondit Ypocras quod non iret ad curandum inimicos grecorum. Rogatus multis vicibus quod iret, consulere cepit super hoc illos de villa quam inhabitabat; qui non permiserunt ipsum recedere dicentes: prius moriemur quam Ypocras recedat a nobis. Et sic Pilatus misit se excusando ad regem Persarum.

Fuit Ypocras post centum et quadraginta VI annos a Nabuccodonozor[Page 426]

et composuit multos libros in medicina, et qui pervenerunt ad nos ex illis sunt triginta, et qui volunt ordinate studere, oportet studere in XIIcim ex illis libris postquam studuerint in sexdecim libris quos composuit Galienus. Et fuit Ypocras parvus corpore, pulcre forme, curvus, grandis capitis, tardi motus, multe cogitationis, tarde locutionis; cum quiescebat respiciebat terram; fuit modici cibi; tenebat semper in manu flebotomum minucionis vel radium ad oculos medendos. Finivit dies suos in nonaginta et quinque annis, decem et septem vixit studens, sapiens vero et magister iuxta annis LXXVIII. Et ista sunt dicta eius. Securitas cum paupertate melior et eligibilior est quam timor cum divitiis. Et dixit: vita brevis, ars longa, experimentum periculosum, iudicium difficile. Et dixit: sanitas consistit in non habendo pigriciam ad exercitandum et in non replendo corpus cibus et potibus. Et dixit: minuere que nocent est melius quam multiplicare que iuvant. Et dixit: cor duabus efficitur molestus passionibus, scilicet tristitia et sollicitudine; a tristitia vero provenit somnus, cogitatu seu sollicitudine vigilia provacatur. Nam sollicitudine inducitur cogitatio super eo quod timetur proventurum, quare vigilat; tristitia vero caret cogitatu futurorum cum non sit nisi quedam passio de preteritis. Et dixit: anima non insistens nisi mundanis cupiditatibus est perdita. Et dixit: ex quo quis regi servierit, non vereatur eius austeritatem, velut subintrans fundum maris non timet eius salsedinem. Et dixit: qui vult vitam sue anime affligat et mortificet eam. Et dixit: intervenire potest amor inter duos sensatos quia assimilantur sibi in sensu, sed non inter duos insensatos, licet sint similes in stulticia, quia sensus incedit secundum ordinem, quare possunt duo concordare in semita una. Insensatio[Page 427]

vero seu stulticia, non incedit secundum ordinem, igitur non potest intervenire concordia seu amor inter eos. Et dixit: melius quod acquiritur per scientiam est: sic, non sic; sic est de eo quod est, non sic, de eo quod non est. Et dixit: sitis contenti de eo quod sufficit, et sic non indigebitis, quia hoc modo eritis magis prope Deum; ipse enim nullo indiget, ergo quanto magis indigebitis tanto magis eritis ab eo distantes. Fugiat is etiam malitias seu pravitates et retrahatis vos a peccatis, querentes fines virtutum seu bonitatum studiose. Et dixit: qui querit esse liber, non cupiat quod habere non potest, alioquin erit servus eius. Et dixit: oportet hominem in hoc mundo esse sicut ad convivium invitatum, cui quando datur cibus eum recipit, quando non, nec recipit nec querit. Et dixit discipulo suo: si vis habere quod cupis, cupias quod habere potes. Et quesierunt ab eo de quibusdam rebus fedis, et tacuit; cui dixerunt: quare non respondes? Et respondit: responsio super talibus est tacere. Et dixit: mundus non est perpetuus, ergo cum poteritis bene facere non differatis, intendentes ad habendam bonam famam. Et dixit: nisi propter opus non inquiritur sapiencia. Et dixit: potius est velle veritatem omittere per viam nesciendi, quam omittere per viam non inquirendi. Et dixit: sciencia est sicut spiritus, operatio sicut corpus; et scientia est sicut radix, operatio sicut ramus; et scientia est sicut generans, operatio sicut generatum. Et dixit: assume modicum ex sciencia, et tale per quod pervenire possis ad multum.

Pitagoras vidit bonum esse negligere mundum et servire Deo, mandans santificari sensus et uti iusticia et aliis bonitatibus, et inniti ad sciendum veritatem omnium rerum, et diligere homines, et uti bellis, et facere multa jeiunia, et uti studio, et mares docere mares et feminas docere feminas, et eloqui orate et predicare. Et dicebat quod anima est eterna, apta recipere meritum et penam. Et moderabat suum cibum eo modo quod[Page 428]

non erat uno tempore grossus et alio tenuis sive macer. Erat etiam anime valde subtilis, diligens bene facere amicis suis priusquam sibimet, dicens quod bona amicorum deberent esse communia et deberent ipsi sciencias eorum dicere per allegoriam. Composuit CCLXXX libros; et erat scriptum in suo sigillo: malum non durabile est eligibilibus bono non durabili. In suo autem cingulo scriptum erat: silencio assecuratur ratio penitenti. Et dixit: sicut initium nostre factionis est a Deo, sic oportet quod anime nostre revertantur ad Deum. Et dixit: si volueris cognoscere Deum non cogites ad cognoscendos homines. Et dixit: sapiens non reputat Deum honoratum suis eloquiis, sed suis operibus. Et dixit: sapientia est Deum diligere, et Deum diligens agit opera que Deus diligit, et operans que Deus diligit est circa eum, et qui circa eum est bene est proximus. Et dixit: non honoratur Deus propter ea que offeruntur ei sacrificia, sed propter acceptabiles voluntates. Et dixit: qui multum loquitur in eo est signum quod parum cognoscit. Et dixit: recorderis quacumque hora qua feceris aliquid ex bonis operibus, corporis vel anime, quod Deus circa te videns est omnia opera et cogitationes, et tunc habebis verecundiam pro eo. Et dixit: hominem sapientem et timentem Deum cognoscit Deus, propter quod non turberis si homines non te cognoscant. Et dixit: Deus non habet locum super terram magis convenientem sibi anima pura et munda. Et dixit: decet hominem de rebus nobilibus loqui, et si non sit ei possibile, audiat loquentes de eis. Et dixit: cave uti re feda tecum vel alio, verecundans de te magis quam de aliquo alio. Et dixit: satage lucrari bona laudabili modo ex expendere similiter. Et dixit: cum audieris mendacia,[Page 429]

sis paciens in audiendo. Et dixit: de operibus prius cogita quod non alloquantur homines super eis. Et dixit: attende salutem tui corporis ut sis moderatus in comedendo, bibendo, iacendo cum mulieribus atque laborando. Et dixit: id facere coneris quod alii tibi inuideant. Et dixit: non sis dissipator sicut ignorans que habet, nec sis parcus ut non fias servus, sed in omnibus habe moderanciam, quia in cunctis utilis est mensura. Et dixit: sis vigilans in tuo consilio quia dormire in eo est participare cum morte. Et dixit: quod non decet te facere non veniat in tui conceptum. Et dixit: sermo mendosi, oraciones sue et sacrificia sua sunt sordicies et contraria Deo. Et dixit: hominem culpae se ipsum utilius est quam culpae amicos suos. Et dixit: qui non est intentus, veritatem non attingit. Et dixit: carentis sciencia eodem modo se habet laus sue et vituperium, et vita eius est derisio. Et dixit: reputa germanos tuos illos qui te iuvant ad sciendum. Et dixit: iudex non iudicans recte meretur omne malum. Et dixit: non sordides linguam rusticitate, nec eam auribus audias. Et dixit: statue sensum tuum pro gubernatore vite tue. Et dixit: non potest homo esse liber, pronus ad mala opera que acquisivit per consuetudinem. Et dixit: non oportet hominem in hoc mundo niti aquirere bona nec facere grande opus, que remaneant post mortem suam ad servitium alterius, immo nitatur lucrari quod sibi proficiat post mortem. Et dixit: melius est hominem iacere in lecto igneo credendo in Deum quam iacere in lecto aureo dubitando de eo. Et dixit: nitaris quod tue mercationes sint mercationes spirituales et non corporales, sic erunt tua lucra nobilia et non vilia. Et dixit: fundamentum timoris Dei est pietas. Et dixit: cum volueris offendere alium, scias te non posse evadere quin te offendas. Et dixit:[Page 430]

prepara animam tuam ad recipiendum res contingentes tibi de bono et malo. Et dixit: excludas te ab omnibus vanitatibus mundi quia rationem conturbant. Et dixit: non exponas te ad dormiendum donec consideres opera que fecisti eodem die et scias si errasti et in quo, et si feceris quod non debuisti fecisse, vel non feceris quod facere debueris; et si inveneris quod male feceris, tristeris, et si bene, leteris: et per hoc pervenies quod sis circa Deum. Et dixit: cum inceperis aliquid bene operari incipias Deum rogare quod bene tibi succedat in illo. Et dixit: si experiaris [aliquem] et invenias quod non sit conveniens ut sit amicus, cave ne illum facias inimicum. Et dixit: experiaris hominem suis operibus et non dictis, quia plures invenies quorum sunt mala opera et bona dicta. Et dixit: decet hominem non errare, et si erret, quod cognoscat errorem ad quem non redire sit cautus. Et dixit: vinum inimicatur anime et corruptor est suorum operum et est sicut qui adicit ignem igni. Et dixit:

deceat hominem esse obedientem domino suo, non tamen sic absolute quod sui impediatur libertatem. Et dixit: convenientius est velle mori hominem quam animam suam incidere in tenebras nescientiae. Et dixit: non omittas pulchra opera facere eo quod non gratificentur. Et dixit: recorderis semper anime tue ut stes in nobili cogitatu; pauci enim sunt allegantes adversus hunc sublimem statum. Et dixit: pura anima non delectatur in rebus terrenis. Et dixit: conare non prebere viam quod crescant inimicie. Et dixit: nitere amicos acquirere propter te et non propter ea que habes. Et dixit: convenit non facere quod cupis, sed quod deceat. Et dixit: deceat scire horam in qua sit conveniens loqui et in qua tacere. Et dixit: qui non refrenat animam in suo corpore, corpus est anime sue fovea. Et dixit: liber est qui nullum perdit debitum ex hiis que debentur anime ob aliquam ex cupiditatibus nature. Et dixit: excludo sensum a cupiditatibus et apparebit veritas. Et dixit: non potest sciri nisi[Page 431]

quantum inquiritur. Et dixerunt ei: quis est liber? Respondit: qui servus est honestatis. Et dixit: non est peccator qui tantum gravatus est quantum tolerare potuit, et sustinuit, sed ille qui gravatus et ultra possibilitatem sue nature et sustinet. Et dixit: sicut non bonus censetur medicus qui curat alios et seipsum non curat, eodem modo non est bonus gubernator sui qui aliis mandat bene operari et cavere a malis, et se ipsum omittit. Et dixit: mundus variatur, vice una faciens tecum, alia contra te; igitur si dominaberis ei benefac, et si ipse tibi dominabitur, humilia te. Et dixit: plurima malorum adversantur animalibus quia non locuntur et hominibus quia locuntur. Et dixit: qui potest a quattuor abstinere, malis gravari non potest: scilicet importuna festinancia, pertinacia, arrogancia et pigritia; quia fructus festinancie est penitere, pertinacie est perditio, arrogancie odium et pigritie despectio. Et vidit quendam nobilibus pannis indutum indecenter loquentem; cui dixit: aut loquaris sermone proporcionato tuis vestibus, aut, induas te pannis proporcionatis tuis eloquiis. Et rogavit eum rex Sicilie ut moraretur cum eo; cui respondit: opera tua tuis sunt profectibus opposita et tuum officium erradicat fidei fundamentum; igitur tecum morari nolo, quia securus non est medicus quod non infirmetur cum suis infirmis. Et dixit suis discipulis: non queratis res quas diligitis ex qualitate ipsarum vel sapore, sed illas que diliguntur in se. Et dixit: si volueris quod non erret tuus filius aut servus, id queris quod non est extra naturam. Et dixit: anima inter bonos est in delectatione et in gaudio, et inter malos in dolore et tristitia. Et dixit: sapiens de anima sua cogitat sicut alius de suo corpore. Et dixit: assume illos in amicos qui veritatem sectantur.[Page 432]

Et dixit: cogita priusquam opereris. Et dixit: sicut egrotus medico menciens ab ipso curari non potest, sic homo veritatem amico suo non exprimens, bene ab ipso consuli non potest neque diu amorem eius habere. Et dixit: cum multis inimicis minuitur perfecta tranquillitas. Et cum Piatagoras sedebat in sede sua istis castigationibus utebatur: dirigite pedes vestros, mensurate passus et salvi incedetis; temperate vestras cupiditates et salus vestra durabit; utamini iusticia et diligimini; non acquiescatis magnis delectationibus corporis quia sustinere non possetis postmodum adversitates cum venerint. Et commendaverunt coram eo divicias, et dixit: non laudo divicias que cum liberalitate perduntur et cum paritate et avaricia retinentur. Et vidit quendam senem avidum scire, sed tantum addiscere verendum, cui dixit: ad quid verecundaria in extremo vite tue esse melius quam in eius principio? Et dixit: si volueris inimico tuo facere despectionem, non ostendas te, ipsum pro inimico tenere. Et dixit: deceat regem sollicite perquirere regnum suum sicut horti dominus hortum diligenter perquirat. Et dixit: convenit regi quod sit primus qui leges suas incipiat custodire, deinde quod easdem custodiant qui sunt domestici et amiciores eidem. Et dixit: non deceat regem multum sibimet arrogare, nec suo solo consilio gubernari nec incedere semita quam ignorat, nec angusta, nec equitare nocte obscura. Deceat quod sit hylaris vultu, et aspiciens homines salutet eos libenter, et quod placide conversetur cum hominibus, quia populus ista et similia multum attendit. Sint etates mulierum uxori sue serviendum quinquaginta annorum et ultra; si masculi serviant,[Page 433]

sint multorum dierum et turpes fide seu credulitate; et cum

dormire, recreari, delectarive voluerit, requirat semper custodes et si quis in custodia deficiat, puniat eum. Caveat ab alimentis sumendis de manu mulieris zelotipe, vel de manu cuiuscumque vilis aut suspecte persone. Et dixit: desiderantes cupiditates corporales servi sunt sensum, desiderantes spirituales servi sunt rationis. Et dixit: bonus attendit ad sua vicia et malus ad suas virtutes. Et obiit uxor sua in terra estranea et collegerunt tunc se amici, occasione mortis que acciderat in terra aliena, dicentes ei: frater, inter mortem evenientem in terra peregrina et propria, est differentia? Qui respondit: a qualibet parcium idem est incessus ad alium mundum. Et dixit: sit homo contentus modico in hoc mundo et semper nitatur ad alium mundum. Et dixerunt ei: que est res delectabilior? Respondit: illud quod homo desiderat. Et dixit cuidam inveni nolenti addiscere: o invenis, si non tolere laborum discipline, tolerabis laborem ignorantie. Et dixit: Deus diligit inobedientem suis malis cogitationibus. Et dixit: bonum eloquium est melius subterfugium quod poterit presentari Deo. Et dixit: priusquam alloquaris Deo, facias opera grata sibi.

DIOGENES dictus caninus fuit sapiencior sui temporis, abhominator mundi et negligens eum. Nec habebat mansionem aliquam quiescens in quocumque loco ei noctescebat; nec dimittebat comedere vel refici quandocumque famesceret aut expediret sibi, absque verecundia aliqua, sive de nocte sive de die; et habundabat et erat contentus duabus vestibus laneis; et hec fuit vita sua quousque decessit. Cui dixerunt: quare nuncupaverunt

[Page 434]

te caninum? Respondit: quia latro ignorantibus et blandior sapientibus. Et occurrit ei Alexander primus, nec curavit de eo; qui dixit: o Diogenes, quid est quod me despicias, quasi me non videaris indigere? Cui respondit Diogenes: ad quid [indigeo] servo servi mei? Dixit Alexander: quomodo sum servus servi tui? Respondit Diogenes: ego prevaleo cupiditatibus refrenans et suppeditans eas ut mihi serviant; cupiditates autem prevalent tibi et servis eis: ergo tu servus eius es, quod mihi servit. Dixit Alexander: si tu quereris a me aliquid quo te iuvaris contra hunc mundum, darem tibi. Respondit: qualiter a te peterem, cum sim dicior te? Nam modicum quod habeo sufficit mihi magis quam tibi multum quod habes. Et dixit Alexander: quis subhumabit te cum morieris? Respondit: qui volet a se cadaveris horrorem et fetorem remove. Et Dyogenes dixit: non est bonus qui malum omittit, sed qui bonum facit. Et vidit quendam iuvenem morigeratum, turpis tamen faciei, cui dixit: anime tue bonitas multum dat pulcritudinis faciei tue. Et interrogaverunt eum: que est hora comedendi? Respondit: habenti, cum habuerint appetitum, et non habenti cum poterit habere. Et interrogaverunt: qui sunt amici? Respondit: quorum una est anima in diversis corporibus. Et vidit cum quadam quendam contrahere et dixit: modica quies multum laboris inducit. Et interrogaverunt a quibus debet caveri; respondit: ab invidia amici et fraudibus inimici. Et interrogaverunt: quare omnes abhominaris homines? Respondit: abhorreo homines malos propter vilem vitam ipsorum, et abhorreo bonos propter hoc quia vivunt cum malis. Et vidit quendam subhumare filiam; cui dixit: bonum generum suscepisti. Et dixit: quemadmodum corpus apparet maius tempore nebuloso,

[Page 435]

sic error apparet maior in corpore irascentis. Et vidit quendam peditem iusequi latronem et dixit: miror qualiter publicus privatum prosequitur. Et dixerunt quidam: ad quid non emis domum in qua quiescas? Respondit: quiesco quia domo carco. Et vidit quendam pulcram mulierem et dixit: modicum boni et plurimum mali. Et dixit Alexandro: non aprecieris te, rex, ob tuam pulcritudinem, nec propter pulcrum vestitum, nec ob tuum pulcrum equitare; sed coneris appreciari te propter bonitatem et liberalitatem que in te consistant. Et dixit: quando reputaveris pro malo quod videris in altero, caveas ne tale in te existat. Et dixit: cum videris canem dimittere dominum et te sequi, prohibeas eum cum lapidibus quia relinquet te sicut relinquit dominum suum. Cui dixerunt: qualiter comedis in platea? Respondit: quia in platea famesco. Et vidit quendam orantem Deum ut concederet sibi sapienciam; cui dixit: non ores propterea sed coneris ad discendum potius. Et dixit: in qualibet virtute humana est utile magis consequi, nisi in locutione. Et dixit: commendare aliquem super eo quo caret est inhonestum et turpe.

Et erat quidam pictor tempore quo, qui factus est physicus; cui dixit: existimo, quia scivisti quod error picture patebat oculo et error medicine latebat sub terram, propterea, omissa pingendi arte, factus es medicus. Et vidit quendam formosum facie, tamen ignarum; cui dixit: o quam bona domus, et malus hospes! Et vidit quendam inscium stantem super lapidem; cui dixit: lapis super lapidem. Et consueverat dehonestare odientes scienciam. Et quadam die ascendens in altum locum clamavit: o vos omnes, convenite; et convenientibus dixit: non vos voco, immo homines. Et quesiverunt: quid sunt divicie? Respondit: abstinere a cupiditatibus. Et quesiverunt: quid est amatorium? Respondit:[Page 436]

infirmas hominis que consistit in vagacione et in exclusione a quolibet alio cogitatu. Et infirmatus est et visitaverunt eum amici sui dicentes ei: ne timeas, quia hoc a Deo est. Et respondit: propterea timeo magis mihi. Et vidit quendam senem tingentem capillos suos; cui dixit: quia canos occultas, non propter hoc senectutem ascondis. Et vidit quendam stultum cum anulo aureo et dixit ei: magis te dedecorat aurum quam ornet. Et dixit: potius eligas adire medicum quam eum ad te venire, quia necesse habes medelam querere donec fueris sanus et fortis et non, cum naturam superaverit egritudo, veniat ad te medicus; similiter dico de medico anime. Et dixit: quando volueris aliquem corripere, non te geras velut homo optans de alio habere vindictam, immo agas velut medicus ipsum curare volens. Et cum volueris corripere te ipsum, exponas te sicut se medico eger exponit. Et interrogaverunt: quid agendum est ut homo non irascatur? Respondit: recordetur semper quod non necesse est ut tibi semper serviatur, sed quod aliqua vice serviturus est, nec oportet quod iugiter obediatur ei sed interdum obediat alteri, nec est necessarium quod coleretur ab aliis semper, vero ut patiat et ipse: et cum hoc fecerit, debilitabitur ira ipsius. Et vidit Alexandrum coram quo stabat versificator quidam laudans eum; et ipse, assumens panem, cepit comedere; cui dixerunt: quid est quod agis? Respondit: hoc ago quod utilius est quam audire mendacia. Et dixit: si bene egeris ad quod te conlaudant, non eris melior propter hoc. Et dixit: non loquaris adversus aliquem priusquam audias eloquia sua et preceperis comparationem sciencie eius et tue; et si receperis quod ille sit te melior, taceas nitens aliquid adipisci ab eo; quod si eo melius te habueris, audacter proferas quod volueris. Et dixit discipulis: si quis dederit vobis bonum cum amore consilium, ei prestate cum amore obedienciam. Et dixerunt ei: quis est qui[Page 437]

prevalet magis anime sue? Respondit: quem cupitates sue non vincunt. Et dehonestaverunt quidam delicosi vitam Dyogenis, et respondit: si vellem possem vivere vitam vestram, vos tamen, si velletis, non possetis vivere meam. Et dehonestavit eum quidam, cui respondit: nolo contendere tecum super re in qua ille qui obtinebit vilior reputetur contemptor, quia ex eo quod est in tuo vase locutus es, et vas omne iuxta id quod continet manat. Et dixerunt ei: etiam loquendo te dehonestavit in absencia tua. Respondit: si percuteres me in absencia mea, non curarem. Et vidit quosdam conantes mulierum obtinere amorem ex largitione bonorum vestium et multorum clenodiorum. Qui dixit eis: vos mulieres instruitis divites amare, non maritos. Et dixit: respondens dehonestatori inhoneste est vilis, et nobilis est respondens dehonestatori cum paciencia. Et dixit: non est thesaurus melior quam sensus sive discrecio, nec paupertas improbior quam ignorancia, nec melior amicus quam bonus mos, nec gubernator melior quam fortuna, nec hereditas melior bono documento. Et dixit: infirmas est corporis carcer, et tristitia carcer anime. Et dehonestavit eum quidam generosus ob vilitatem sui generis, cui respondit: mea sublimitas a me incipit, tua in te desinit. Et stabat Dyogenes cum uno in silencio; cui dixerunt: quare non loqueris? Respondit: virtus boni viri consistit in auribus, alterius vero in lingua. Et dixerunt ei: talis vult te occidere. Respondit: si fecerit, maius damnum inferret tibi quam mihi. Et dehonestavit eum quidam nec respondit; cui dixerunt: quare non respondes? Respondit: non possum magis eum dehonestare quam ipse se ipsum dehonestavit, quia dehonestavit eum qui ipsum non dehonestaverat. Et dixit quidam: quomodo turbare faciam inimicum? Respondit: quod sis bonus valde. Et dixit: si volueris magnificare bonitates tuas in oculis hominum, non reputes eas magnas apud tuos. Et dixit: si dederis potestatem

amico tuo ut suos pedes tuis superponat, superponet in crastinum collo tuo. Et dixit: mulier est inevitabile damnum. Et dixit: qui bonum facit propter ipsum bonum, unicuique bene facere debet et coram quocumque laudatore suo vel dehonestatore. Et quesiverunt: quando cognoscitur amicus? Respondit: in necessitatibus, quia in gaudio quilibet est amicus. Et dehonestavit eum quidam, nec indignatus est; cui dixerunt: qualiter non indignaris? Respondit: iste talis vel est veridicus vel mendax; si veridicus, ob veritatem non irascar, si mendax, quanto magis deest indignationis causa, ex quo nescit quod dicit. Et audivit quendam multa dicentem; cui dixit: acquiesce tuis auribus, quia propterea habuisti duas aures et os unum, ut plus audias quam loquaris. Et dixit cuidam regi: veni ad te propter fiduciam quam de te gero, et recepi malam responsionem pacienter. Et quesivit Alexander: cum quibus possem assequi bona premia Dei? Respondit: bene operando. Et transivit per quendam custodem capientem vectigal: cui dixit custos: defers aliquid? Respondit: sic. Et deposuit onus in terra, in quo nihil inveniens decimarius ille dixit: ubi est quod ferre te dixisti? Et discoperiens pectus suum dixit: hic est quod ferre me dixeram. Et vidit iuvenem decorum, sapienciam inquirentem, cui dixit: bene agis, fili, volens decori corporis anime pulcritudinem convenire. SOCRATES in greco vult dicere iusticie observator. Natus fuit Athenis; qui reliquit tres masculos, et quia fecerunt eum contrahere contra consuetudinem suam, facientes scilicet[Page 439]

bonos cum bonis contrahere ut genus durabile fieret inter eos, contraxit cum crudeliore muliere que in terra sua erat, ut ex tollerancia nescietatis eius et suorum malorum morum, esset sibi facilius tollerare simplicitates communiter seu hominum ignorancias. Et adeo voluit sapienciam honorare quod sequaces suos impedivit; nam pro bono habuit quod sciencie non scriberentur in cartis, dicens quod sciencia est res pura et munda, ergo conveniens est quod solum in puris animabus recondatur, non in cartis vilibus et mortuis pergamenis. Et ideo non composuit aliquem librum, nec discipulos per libros instruxit, immo eloquio tantum disciplinabili eos voluit esse contentos. Et hoc didicerat a suo magistro Thimeo. Nam cum ipse Socrates, tunc puer existens, diceret eidem: qualiter in libro non permittis recondi documenta que a te audio? Respondit et dixit: qualiter cupis pelles viles mortuarum bestiarum et ingenia nobilia virorum abhorres? Pone quod aliquis, in via tibi occurens, de quadam questione sua tuam scienciam seu tuum consilium requireret; essetne bonum ut diceres sibi sustinendum esse quosque, domum revertens, de ipsa questione consuluisse libros tuos? Numquid honestius esset ad mentem internam recurrere, statimque de facili eundem dubitantem expedire? Nitaris igitur mente recondere que addiscis, non in cartis. Et sic hac semita Socrates incessit. Ipse Socrates ydola prohibuit adorari, illum dicens adorandum qui omnis materie creator existit, et non adorandam materiam ydolorum, quam fecit ipse creator propter[Page 440]

te, neque ipsorum formas, quas tu ipse forte fecisti. Et ob hoc documentum, condemnationem mortis accepit a XII iudicibus Athenarum, qui mandaverunt ei toxicum bibere quod opium nominatur. Et hoc autem multum doluit rex illius patrie, tamen non potuit sententiam revocare, sed mortem ipsius fecit aliquamdiu prorogari. Navis enim una quam ipse rex cum magnis enceniis destinare ad ydolorum domum certis temporibus consueverat, moram contraxerat, occasione adversitatis ventorum, et ipse in consuetudine habebat non occidere quemquam quousque navis reverteretur Athenas. Inclusus igitur in carcere, visitabatur ab amicis; inter quos unus eius socius cui nomen erat Euclites, dixit ei: navis regis applicabit forte cras aut prius oras, et nos interim, quod tu servaris, dare volumus pecuniam custodibus tuis ut te secrete, cras, summo mane, dimittant; tu autem, Romam pergens et ibidem commorans, Atheniensium potenciam regisque eorum amplius non timebis. Cui respondit: quod habeo non valet quadringentos argenteos. Cui dixit Euclites: bene scio te habere non posse quod petunt, sed nos satis habemus pro te et cum magno desiderio satisfaciemus custodibus, ad hoc ut evadas. Quibus Socrates respondit: hec civitas, a qua ista pacior, est locus mee generationis et

facit mihi hec non quia merear sed quia confuto opera iniusta, sicut non credere in Deum verum et adorare ydola vana; et propter hoc me occidunt. Si ergo ista mee nationis gens me ita propter veritatem persequitur, hoc idem facient quocumque ivero, quia nunquam omittam veritatem tueri et opponere me mendaciis.[Page 441]

Et romani minus miserebuntur mei quam isti qui sunt de terra mea. Cui dixit Eucliton: memoreris filiorum tuorum et uxoris, quam male erit eis post mortem tui. Et respondit: melius erit eis hic quam Rome, nam hic fruuntur, ut spero, vestro consilio et tutela. Et adveniente tertia die venerunt mane eius discipuli, sicut moris eorum erat, et invenerunt quod illic fuerant XII iudices qui iam solverant eum a compedibus; et stantes dicti discipuli cum eo interrogaverunt eum super quibusdam anime dubiis; cum quo locuti sunt diu, donec complevit sermonem suum ita pulcre sicut facere consueverat tempore maioris alacritatis quam numquam consuevisset habere. Illi vero multum admirabantur tantam in homine costanciam, quare ipsam mortem sperneret. Et dixit Simen, unus ex discipulis suis: inquirere a te documenta, in hoc statu posito, scimus esse nimis grave; hec vero omittere, nobis est valde damnosum, cum in terra post te non dimittas aliquem tibi in sana doctrina secundum. Quibus Socrates respondit: non omittatis querere quantum vultis, quia vestra inquisitio mea est alacritas. Et locuti sunt diu de esse anime et pervenerunt finetenus ad ea que scire voluerunt. Post quesiverunt super statu mundi, super motu celi et super compositione elementorum; quibus omnibus respondit exponens eis multa de divinis. Et postquam complevit hec, dixit: Existimo quod iam prope est hora mortis; volo balneari et dicere orationes ut nullum oporteat haberi laborem post mortem. Et vos interim, abscedite, si placet. Tunc ipse intravit quandam domum et balneavit se et orationes egit; post hec exivit, vocans filios et uxorem quos castigavit, et expedit se de eis, remittens eos. Tunc dixit Eucliton: quid precipis nos facere de tuis filiis et uxore? Respondit: non aliud quam semper precipere consueveram scilicet ut, benefaciendo erga omnes ut tenemini et potestis, animas vestras dirigatis ad illum qui vos creavit. Tunc advenit quidam a XII iudicibus missus, dicens: O Socrates, bene scis[Page 442]

quod non sum ego ille qui te occido, sed illi iudices a quibus mittor qui mihi precipiunt te occidere, cum tu sis melior homo qui ad hunc locum pervenerit; ecce medicina: bibe eam, patiaris quod vitare non potes. Respondit Socrates: facio; tu es sine culpa. Et accipiens bibit eam. Et cum viderunt eum bibere, irruerunt ab eis qui aderant amicis magni gemitus et ploratus. Qui, reprehendens eos, dixit: nonne remisi hinc mulieres, ut non ipse facerent que vos facitis? Et cepit deambulare dicens: o Deus, miserere mei. Cum vero postmodum, pedibus irrigentibus et stupidis, iacere cepisset, unus de suis pedes sibi pupugit cum una subula, querendo ab ipso Socrate sic: sentis puncturam quam tibi facio in pedibus? Respondit: minime. Et invalescente rigore ut etiam post pedes crura penitus occupasset, pupugit eum similiter in cruribus interrogando au sentiret puncturam. Qui respondit se nichil sentire. Post hec crevit rigor frigoris usque ad latera et costas; Socrates autem dicebat eis quo modo frigus semper superius ascendebat, et quod quando perveniret usque ad cor, tunc moreretur. Cui dixit Eucliton: O domine, fons sciencie et sapiencie, quousque faris in sensu tuo, corripe nos. Et respondit: non vos moriens aliter corripiam quam feci vivens. Tunc, extendens manum, accepit manus Euclitonis applicans eas sue faciei; cui dixit Eucliton: domine, precipe mihi quod vis. Et ipse responsum non dedit; post hec, elevans oculos, dixit: presento animam meam suo et omnium creatori. Et in hiis mortuus est. Eucliton autem clausit eius oculos, et eius maxillas constrinxit.

Et Socrates dimisit XII milia inter discipulos et discipulorum discipulos: et ordinavit homines dividendo eos tribus ordinibus, in sacerdotes scilicet, regem et populum; et ordinatio sacerdotum erat super ordinacionem regum, et ordinatio regum super ordinacionem populi, quia sacerdotes debent rogare Deum[Page 443]

pro se, rege, et populo, rex pro se et populo, populus autem pro se tantum. Et fuit Socrates rubei coloris, competentis magnitudinis, calvus, decorus facie, expansus humeris, grossorum ossium, modice

carnis, oculorum nigrorum, lentarum palpebrarum, multi silentii, membrorum quietorum; cum ambulabat respiciebat terram multa cogitans; cum loquebatur movebat digitum qui dicitur index. Vixit LXXXII annis et scribi fecerat in suo sigillo: patiencia et credulitas Dei faciunt hominem vincere. Et in suo cingulo scriptum erat: per considerationem et aspectus finis, acquiritur salus anime et corporis. Et misit leges, quas statuit, in orientem, occidentem, septentrionem et meridiem, ita quod non remansit homo in tota terra illa qui non gubernaret se per illas.

Et dixit: primum in quo figas voluntatem tuam sit servare iusticiam divinam et servire ei, et niti ad obediendum voluntati sue, non cum sacrificio tantum, immo non faciendo iniustum nec iurando sacramento fallaci. Et dixit: sapiencia est schala sapientis, qua qui caruerit non potest stare circa Deum. Et dixit: sicut eger evadit ab infirmitate suffragio medicine, ita infidelis liberatur ab infidelitate per legem. Et dixit: ob iusticiam assecurantur anime. Et dicebat cum se statuebat ad demonstrandum: ego sum seminator, et virtutes anime sunt semina, et studium est aqua cum qua creantur; et cuius semina non fuerint munda et aqua non fuerit sufficiens, suum seminare non potest proficere. Et dixit: mirandum est de illo qui obliviscitur ob istum mundum finibilem, bona alterius mundi infinibilis. Et cum vidit se cum rege qui eum occidit, dixit ei rex: tu es ille qui derridebas nos, prohibens adorare ydola. Respondit ei Socrates: non est bonum Socrati, et est bonum regi. Et dixit rex: qualiter est hoc? Respondit: quia bonum non est sapienti bonum, vero non sapienti; quia sapiens, propterea quod Deum cognoscit[Page 444]

et novit quod placet ei, non indiget alicuius quod divertat a maliciis; nam ex se exequitur quod eum oportet facere de voluntatibus Dei; et qui non est sapiens indiget eo quod divertere faciat a maliciis. Et propter hoc posuerunt ydola facientes credere illa esse dominos eorum ut timerentur et ex hoc recederent a malis operibus; que, velut mortua, nec obesse valeant nec prodesse. Et dicit: bona anima diligit bonum mandans id fieri, et perversa diligit malum mandans id fieri. Et dixit: bona anima plantat bonum et fructificatio sua est salvatio, et anima mala plantat malum et fructificatio sua est damnatio. Et dixit: bona anima cognoscitur eo quod de levi recipit veritatem, et mala de levi mendacia. Et dixit: cum anima dubitat in re dubia et adheret manifesto, signum est quod est intelligens. Et dixit: anime bonorum dolent in operibus malorum, et anime malorum dolent in operibus bonorum. Et dixit: qui cupiditates imitatur, finaliter est perdens et est cito dehonestatus, et qui odit eas est cito acquirens et in fine commendatur. Et dixit: anima bona salvat se ipsam et alie salvantur per eam; male autem perdit se ipsam et alie perduntur per eam. Et dixit: anime similes conveniunt et dissimiles disconveniunt et contrariantur ad invicem. Et dixit: anima est agnitrix omnium rerum; ergo qui cognoscit animam cognoscit omnia, et qui non cognoscit eam nichil cognoscit. Et dixit: anima est iacinctus incomparabilis, et qui cognoscit eum non est contentus eo [nisi] in eo quod convenit. Et dixit: qui sibi est parvus, alteri est magis parvus, et qui sibi liberalis est, alteri magis est liberalis. Et dixit: bone anime sufficit modicum documenti, et mala cum multo non proficit. Et dixit: si taceret ignorans, molestas discordias cogitatus minime pateretur. Et dixit: sex sunt nunquam amittentes tristiciam; ille qui nunquam obliviscitur despectionis que fit sibi: invidus novas habens divicias; qui moratus est diu cum sapiente[Page 445]

et non potuit cum eo proficere; dives qui nititur se pauperem videri; qui nititur ad statum incompetentem sibi et qui moratus est cum sapiente semper et non est talis qualis ipse. Et dixit: qui instruit malam animam est sicut qui domitat fortem equum, cui si modicum remittuntur habene, fit impotens sui regiminis. Et dixit: non reputes iram illius qui contentus est vanitatibus. Et dixit: hominem uti multum amore hominum facit malum lucrari amicum; et elongari multum ab eis, multum facit acquirere suam inimiticiam: ergo non assuescas eos nec elongeris ab eis multum. Et dixit: melior est bono qui facit bonum, et malo peior qui operatur malum. Et dixit: sensus seu discrecio sunt dona Dei, et scienciam acquirit homo per seipsum. Et dixit: sapiens est medicus legis et peccunia est infirmitas legis; et cum medicus non potest se ipsum curare, quo modo alium curabit?

Et dixit: non eris completus donec assecuretur de te inimicus; ergo, qualis eris si non assecrabitur de te tuus amicus? Et dixit: cavete ab illis qui vestra corda abhorrent. Et dixit: non est laudabilis vita nisi duobus, scilicet ei qui scit et loquitur et ei qui audit et intendit. Et dixit: mundus assimilatur vie habenti cardos tectos in terra, quos ignorans calcit incedens et eis offenditur, et sciens divertit ab eis. Et dixit: qui diligit mundum laborat in eo et qui abhorret quiescit securus boni finis, cum ab eo recesserit. Et dixit: quomodo est simplex qui certus est cedere mundo et nititur populare ipsum et edificare in eo! Et dixit: quodlibet fructum habet; et fructus habendi modicum est quies et bonitas anime. Et dixit: mundus est velut ignis accensus; si sumatur modicum ad illuminandum viam, evaditur a calefactione ipsius; si multum assumit aliquis ad illustrandum, cremat eum. Et dixit: qui ponit cogitatum suum in mundo perdit animam, et qui ponit in anima odit mundum. Et dixit: qui diligit mundum, unum duorum incurrit: vel invidiam maioris[Page 446]

sui, vel despectionem minoris. Et dixit: qui habere nititur aliquid quo invidetur sibi, habet inimicitiam cum eo qui nititur pro eodem, et qui habet inimicum paratus est cadere gravi casu, iuxta condicionem eius. Et dixit: qui querit mundum, si obtinebit eum que cupiditas dimittere alii, et si non habuerit morietur cum illa despectione. Et dixit: hic mundus est transitus ad alium mundum; ergo qui parat se necessariis singulis huius transitus, assecratus est non transire per pericula. Et dixit: qui assumit de hoc mundo magis quam sufficiat, assumit quod non proficit, et qui sumit quod sufficit solum, salvatur. Et dixit: non impediatis animas vestras in acquisitiones mundalium, sed sitis sicut aves celi qui cum volant ex nido, mane, non cogitant nisi acquirere escam unius refectionis et non ultra quam sufficit; et sicut bestie silvarum que, descendentes a montibus ad querendam escam, ventres replent et revertuntur ad caveas suas. Et dixit: error cognoscitur ex fine malo qui sequitur ex errore; ergo non potes rectum cognoscere usquequo erretur. Et voluit Plato facere iter et dixit Socrati: munias me. Qui respondit: dubites de hiis quos cognoscis et caveas de hiis quos non cognoscis; non devies, non ambules discalciatus, non de nocte; non gusta plantam ignotam, incedas certa via licet sit multum longa, nec ostendas devianti errorem quia intruetur a te, et eris inimicus. Et dixerunt Socrati: quare nunquam te videmus tristem? Respondit: quia careo eo, quo habito, compellerer contristari, scilicet rerum abundancia. Et dixit: si non poteris carere mulieribus, utere eis sicut carnibus morticinis[Page 447]

que non comeduntur nisi necessitatis causa et, si plusquam sufficit comedatur de eis, interimunt. Et dixit: duo sunt laudabilia bona, lex scilicet et sapientia; nam lege cohibemur a peccatis, et sapientia acquirimur bonitates. Et dixit qui vult habere quod cupit, cupiat quod habere potest. Et interrogaverunt in quo confert hominibus rex. Respondit: non permittit unum alium offendere. Et associavit se diviti cuidam in itinere; et advenientibus latronibus dixit dives: malum est mihi si me cognoscant. Et Socrates dixit: bonum est mihi si me cognoscant. Et dixit: decet sensatum amittere tempus in hoc mundo in duobus, videlicet aut in eo quod facit habere gaudium in hoc mundo et in alto, aut in eo quod facit bonam famam in isto. Et dixit: hic mundus est delectatio unius hore et dolor plurium, et alius est modica patiencia et longa alacritas. Et dixit: pugna cum cupiditatibus vincentibus animam, usquequo vincas eas, sicut est ebrietas et ira, et sis hominibus sicut eos volueris esse tibi. Et dixit: quicumque docet te verbum unum sapientie, maxime benefacit tibi et exhibet tibi melius quam thesaurum. Et dixit: non iures per Deum ob aliquod lucrum alicui veridico quia alii te suspicabuntur mendacem, et alii cupidum pecunia. Et dixit: si contra te irascatur amicus, paciari eum tempore ire, et quando sedabitur ire, tunc culpes eum. Et dixit: non ponatis dona vestra nisi in locis propriis, quia plures simplices exhibent non indigentibus et prohibent indigentibus. Et dixit: dic bona de amico tuo cui vis occurrere, eo quod initium amoris est benedicere et initium odii male dicere. Et dixit: oportet regem elongare se a malis, quia male ab illis facta imputantur eidem. Et dixit: vita absque disciplina non est hominis vita. Et dixit: maior rectificatio est observare opiniones, cupiditates refrenare, et malos mores abolere. Et dixit: qui errat priusquam constet

scire veritatem, sui erroris indulgenciam meretur. Et dixit:[Page 448]

qui munit animam suam ad tolerandas ignorancias hominum, potest esse acceptus propriis et comunibus adversus. Et dixit cuidam iniurianti sibi dicendo quod erat vilis generii: ego minus valeo propter genus meum, ut dicis, et genus tuum propter te. Et dixit: disputari super re cuius vitari non potest veritas, est ignorancia. Et dixit: melius inter omnia existens est medium. Et dixit: homines in hoc mundo sunt figure in foliis libri, cuius, uno aperto folio, apparent que sunt in illius facie, et que sunt a parte altera occultantur. Et dixit: qui multum currit, multum cespicat. Et dixit: si sensus hominis non dominatur aliis existentibus in homine, annullabitur aliis vincentibus ipsum. Et dixit: qui non discernit inter bonum et malum est bestia. Et dixit: amicus bonus est qui facit ipsum divertere versus bonum, et robustus qui aufert damna, et bona vita est bona acquisitio et moderate expense. Et scripsit regi quando mortuus fuit eius filius: Deus stabilivit hunc mundum domum tempestatum, et alium mundum domum leticiarum et remunerationum, et statuit tempestates huius mundi occasiones remunerationum alterius mundi. Et dixit: nemo reputatur sapiens quousque vincat cupiditates sui cordis. Et dixit: mundus predicat illis qui remanet propter illos qui recedunt. Et dixit: mundus est perdicio unius et predicacio alterius. Et dixit: qui confidit in mundo isto sciendo qualis est, decipitur, et qui suspicatur in eo vere sollicitus est. Et dixit: eventus rerum ad voluntatem hominis, facit perdere sensum. Et dedit ei unus ex discipulis suis quoddam; quo recepto, statim incepit plorare. Et interrogaverunt: quare ploras? Respondit: quia procuravi amorem perdere ex receptione muneris. Et dixit: patri et matri studeas talis esse, quales filios tuos volueris esse tibi. Et dixit: non rideas neque irascaris multum, quia ista duo sunt opera fatuitatis. Et dixit: de eo quod verecundemur facere convenit ut verecundemur loqui. Et dixit:[Page 449]

pugna cum cupiditatibus iuventutis tue reprimens eas quia istud est pulcrius vestimentum quo indui possis. Et dixit: cave a delationibus ne fiant de te et contra te, licet sint mendacia, quia non omnes cognoscunt veritatem et singuli habent aures. Et misit Plato significando sibi: interrogo de tribus, ad que si responderis discipulus tuus ero; qui sunt illi homines quorum magis misereri debet? Et propter quid negocia hominis male incedunt? Et propter quid recipiet homo bonam retributionem a Deo? Respondit: hi quorum miserendum est sunt tres: quorum unus est bonus qui est in regimine mali, est enim iste semper dolorosus super eo quod videt et audit; alter est sensatus gubernatus per pravum, quia semper est in dolore et tristitia; tercius est liberalis quem oportet petere ab avaro, quia hec est magna angustia. Et incedunt male negocia hominum, cum bonum consilium fuerit in eo qui non auditur, et arma in eo qui non utitur, et divitie in eo qui non expendit. Et bonam retributionem recipit homo a Deo multum placendo sibi et in obediendo plurium, et cavendo a peccatis. Et venit tandem Plato ad eum et factus est discipulus eius queusque finivit vitam suam. Et dixit: despiciate mortem et vivent anime vestre, et sequamini iusticiam et salvi eritis. Et dixit: Quies sapientis est invencio veritatis et quies ignorantis est invencio vanitatis. Et dixit: decet sensatum loqui cum ignorante sicut loquitur medicus cum infirmo. Et dixit: qui querit mundum a dolore non potest excludi, nam, si non habet quod cupit, dolet, quia non habet illud; si habet timet ne perdat illud. Et ille qui est de non perdendo securus, dolebit cum perdet illud post obitum suum. Et dixit cuidam discipulo suo: fili, sufficiat tibi comedere quod famem auferat et bibere quod sitim extinguat, induere quod te operiat; et famuleris anime tue nec habeas per quod decipias alium; sequaris bona opera et disce sapientiam a melioribus qui fuerunt tuo tempore, vitans laqueum quem mulieres parent viris quia est impeditor et disturbatur sapientie, et facit assequi malum statum. Et dixit: querens mundum est brevis vite et multi cogitatus.[Page 450]

Et dixit: qui querit mundum est sicut mare intrans, de quo, si evaserit, dicitur quod exposuit se fortune; et si moriatur dicitur quod decepit se. Et dixit: querens mundum est sicut qui, videns zarab, credit esse aquam de qua sacietur et dum, cum cruciatu et labore, illic venit, invenit se elusum in spe sua et remanet siticulosus perdens suum laborem; zarab est

quum, ex repercussione solis, testucia per prata videntur a longe velut aqua. Et dixit: vita hominis in hoc mundo est velut umbra non habens hominem firmum, propter quod mutatur de loco ad locum. Et dixit: homo in mundo eat penosus in omnibus statibus suis, quia non remanet sibi quod lucratur a rebus suis, nec suis delectacionibus datur aliqua perseverancia, et habet iugiter angustias de amicis suis quos perdit in eo. Et dixit: amor mundi huius facit auditus surdescere ab audienda sapiencia, et facit cecitatem visus ut non videat lumina veritatis. Et dixit: amor mundi huius facit lucrari invidiam et revocat a bene faciendo. Et dixit: iste mundus deserentem absolvit in ostendendo sibi sui mutacionem et querentem eum decipit in presentando ei aliquam delectationem, demum ad amaritudinem multam intendit. Et dixit: qui vult uti veritate magis rege, nitet sibi servire. Et dixit: qui servit alii magis quam sibi, non est liber. Et dixit: nisi super eo cuius sciveris veritatem [loquaris], nec opereris nisi prout convenit, nec incipias aliquid quod ad bonum finem perducere non possis. Et dixit quidam: o Socrates, qualiter es pauper! Respondit: si scires quid est paupertas, magis de tua paupertate quam de mea doleres. Et dixit: maius mirabile[Page 451]

mundi est hominem sensatum dolere. Et dixit: mors est inevitabilis nec abhorret eam nisi qui commisit multam iniquitatem et modicum iusticie et est securus de damnificatione sua post mortem ob male commissa. Et dixit: quam manifesta est bonitas mortis! Ea enim fit transmutatio a mundo dedecoris ad mundum honoris, a mundo finibili ad mundum perpetuum, et a mundo stulticie et vanitatis ad mundum sapiencie, veritatis ac rationis, et a mundo fatigationis ad mundum consolationis et quietis. Et dixit: ob mortem desistas a tuis contrariis, et occurre bonis tuis similibus. Et dixit: quam levis est mors illi qui est certus eius quod accidit ei post eam, et quam gravis est ei qui est dubius eius quod accidit ei post eam! Et dixit: melior est mors huius mundi quam vita vituperosa. Et dixit: qui vivit bona vita, morietur bona morte. Et dixit: mors est quies eius qui servus est cupiditatis, quia quanto magis elongatur vita ipsius, tanto magis multiplicantur ipsius cupiditates, et sic mors festina ei est decentior quam prolixa. Et dixit: mors mali facit mundum quiescere a maliciis ipsius. Et dixit: mors est bona bono et malo; bona bono pro recipiendis retributionibus, malo ut non incidatur amplius in peccatis suis. Et dixit: vita indirecte iudicat inter vivos, et mors recte inter mortuos. Et dixit: quam fedum est plorare pro eo qui occiditur iniuste, et quam bonum est pro eo qui occidit iniuste quia qui occiditur iniuste letabitur et tristabitur qui occidit iniuste. Et dixit: qui veretur aliquid, necesse habet operari per que assecuratur ab eo; ergo timens peccatorum penes post mortem sic operetur ut vitet periculum. Et dixit: cum volueris aliquid facere, videas propter quid fit illud, et si potueris finem consequi labora ad hoc, si non, desistas. Et dixit: melius est homini quod honoret se diminute quam inhonoret et se petendo aliquid ab illo qui pro multo reputat modicum quod concedit, et pro modico reputat inhonorare se petendo aliquid. Et dixit: non reputes aliquid tibi fecisse illum qui hoc fecit inhonorando te ipsum, quia maius est[Page 452]

damnum inhonorationis quam lucrum quod fecisti. Et viderunt eum addiscere musicam; cui dixerunt: non verecundaris in senectute studere? Respondit: maior verecundia in senectute ignorare. Et vidit quendam iuvenem qui, dissipatis bonis suis, colligebat olivas et comedebat. Cui dixit: si olive iste sufficerent ad tui comestionem, non venires ad egestatem. Et dixit: melior rex est qui vincit suas cupiditates. Et dixerunt ei: quid est illud quod delectabilius eat? Respondit: acquirere scienciam et audire rumores nondum auditos. Et dixit: nobilius quod pueri inquirunt est scientia, qua deviant a malis operibus. Et dixit: melius quod lucratur homo est fidelis amicus. Et audivit quendam dicentem: securior est homo ex silencio quam ex multiloquio, quia per locutionem potest incidi in errorem. Respondit: hoc non contingit scienti quod loquitur. Et dixit: commodum tacendi minus est commodum loquendi, et damnum loquendi maius est damno tacendi. Et dixit: sensatus cognoscitur ex multa taciturnitate, et ignorans ex multa loquacitate. Et dixit: magnum lucrum esset tacentis, quando non esset aliud nisi quiescere a disputatione; quanto magis cum per hoc bonum finem lucretur! Et dixit: qui per se non tacet, cogitur tacere per alium et minus

apreciabitur. Et dixit: qui tacet donec ad loquendum inducatur est melior eo qui loquitur donec ad tacendum iubetur. Et dixit: locutio est in posse hominis donec loquitur, et deinde evadit a posse ipsius. Et dixit: qui posse habet non loquendi nisi in loco suo, maius posse habet non negociandi nisi in loco suo. Et dixit: tacere est bonum in plurimis locis, similiter et loqui. Et dixit: si homo loquitur cognoscitur si est perfectus aut diminutus et si taceat dubitatur qualis sit. Et dixit: qui vult loqui, prius consideret et aspiciat suum verbum, quia melius est quod ipse inspiciat quam alter. Et dixit uni ex discipulis: si loquaris, nitaris[Page 453]

eloquium tuum recte pronunciare, aut taceas. Et dixit: qui dolet ex eloquio assecratur quod sit percussus. Et dixit: despice mortem quia non habet aliam amaritudinem nisi timorem sui. Et dixerunt ei: que est bona acquisitio? Respondit: que crescit expendendo ipsam. Et dixit: hebrietas defedat animam; et quod peius est bibere, ex illo quod istud efficit? Et dixit: Qui incedit in mundo secundum sui dispositionem, non est requirendus ad danda anime consilia, quia non dabit nisi arbitrio voluntatis in qua quiescit. Et dixit: bonum consilium ostendit in principio finem rei. Et dixit ei quedam mulier: attende, senex, quo modo facies tua turpis est. Qui respondit: nisi esses speculum turbidum, videretur in te melius mea pulcritudo. Et dixit: qui observat secretum est discretus, et qui patefacit est insipiens. Et dixit: oportet hominem occultare secretum sibi commissum, sed gravior est qui occultat quod non sibi secrete committitur. Et dixit: cum tuum secretum cor tuum non continet, multo minus continebitur in cordibus aliorum. Et dixerunt: quare sensatus petit consilium? Respondit: quia sui voluntatem veretur, que suo sensui vel rationi miscetur. Et dixit: si sciret qui multum utitur dulcibus, quod medetur sibi ex comestione acetosorum, non tamen uteretur comestione ipsorum. Et dixit: qui est bonorum morum, est bone vite et secure, et homines diligunt eum; et qui malorum morum est, est male vite, et homines fugiunt eum. Et dixit discipulo: fili, non confidas in mundo, quia nunquam solvit quod promittit;[Page 454]

utere bonis moribus et diligeri. Et castigavit suos discipulos dicens: assuescatis contenti esse modico et ex hoc cito cognoscetis meliorationem, et non reputetis pro modico modicum, si eveniat; quia crescere poterit et multiplicari; et acquiratis amicos cum amore nec ostendatis eisdem aliquod odii signum. Et interrogaverunt: quantum differt inter veritatem et mendacium? Respondit: quantum inter oculum et aurem. Et dixit: querenti ultram sufficienciam suam, non proficit id quod habet. Et dixit: suscipe excusacionem hominum ex suis culpis, et amittes hominum horrorem. Et dixit: facere rectum est ramus bone extimacionis, et opus iuxta voluntatem actum est astucia, non industria. Et dixit cuidam discipulo: non confidas in tempore, quia cito deficit confidenti. Et dixit: fili, non decipieris pulchritudine iuventutis, nec tui corporis salubritate, quia finis salutis infirmitas est, et mors est infirmitatis extremum; et non potes evadere infirmitates mundi, quia non est sine dolore gaudium, et absque turbine claritas, nec requies sine labore, nec congregatio sine divisione. Et dixit: eventus mundi sunt aliquibus amissio, et aliquibus premunitio. Et dixit: quem mundus facit letari de inimico, equaliter faciet de se inimicum letari. Et dixit ei quidam: locutus sum de te cum tali, qui dixit quod non noscebat te. Respondit: qui me non noscit habet defectum, michi autem nullum efficit defectum ipsum non cognoscere. Et dixit: qui statuit se in loco convenienti, de mundi periculis est securus. Et dixit: sensatus est qui exhibet se rectificandum per alium, nec alios ex se rectificandos assumit. Et dixit: qui amore mundi[Page 455]

suam animam replet, tribus replet eam, scilicet paupertate quam nunquam vitabit ut ad divitias pertingat, fiducia que nunquam perveniet ad finem, et impedimento sine aliqua expeditione. Et dixit: indigenti castigatione de celando secreta, nunquam secretum communicetur. Et dixit: maius est sensato cura procedere, quam fatuo, ultra. Et quesivit quidam: qualiter aqua maris est salsa? Respondit: referas mihi profectum quod de hoc habebis, et dicam tibi. Cui dixerunt: quid lucratus es per scientiam? Respondit: sum velut homo expositus littore maris ad videndum simplices et ignaros qui girant se in undis maris. Et dixit: libertas est servire homini bono, et quanto magis servit ei, tanto

liberior efficitur. Et dixit: non sequaris cupiditates tuas, et quiescas in loco perditum. Et dixit: qui querit amicos habere experiatur primo in se ipso an possit suis repugnare cupiditatibus; et si poterit, bene vivet cum amicis, si non, valentius est sibi desistere quam in malis suis moribus gravare eosdem. Et dixit: mulieres sunt laquei parati, in quos non incidet nisi aut volens, aut incautus. Et dixit: nullum est maius impedimentum ignorancia, nec malum molestius muliere. Et vidit mulierem ferentem ignem; cui dixit: delato molestior est delatrix. Et vidit quandam mulierem infirmam et egrotam, cui dixit: malum cum malo quiescit. Et vidit quandam mulierem traditam ad tumultandum, et mulieres alias plorantes post eam; et dixit: quia perditur malum, malum tristatur. Et vidit quandam puellam discentem scribere, cui dixit: non multiplices[Page 456]

malum cum malo. Et dixit: qui vult evadere a fraudibus dyabuli non obediat mulieribus, quia mulieres sunt scala parata ad quam dyabolus posse non habet nisi scandentibus in illam. Et dixit: ignorantia hominis tribus de causis cognoscitur: in non habendo cogitatum super sui ipsius rectificatione, in non repugnando suis cupiditatibus, et in gubernando se consilio sue consortis in eo quod scit et quod nescit. Et dixit discipulis: vultis quod ostendam vobis cum quo evadatis ab omni malo? Illis respondentibus: etiam, dixit: ob aliquam causam non obediat mulieribus. Cui dixerunt: quid de matre forte bona, vel sorore? Respondit: sufficit vobis quod dixi; omnes enim in malo sunt similes. Et dixit: qui vult scienciam querere non exhibeat potenciam mulieribus supra se. Et vidit quandam mulierem se polientem, cui dixit: mulier est velut ignis, cuius incenditur calefactio per oppositionem lignorum. Et dixerunt ei: quid dicis de mulieribus? Respondit: ipse sunt sicut arbor adefla; adefla est arbor venenosa, habens bonum et pulchrum aspectum, et eum qui, deceptus, de ea comedit, occidit. Et dixerunt: quomodo mulieres vituperas, quibus non existentibus tu non esses? Respondit: mulier est sicut palma in qua sunt spine que, si corpus intrant hominis, vulnerant eum, et nihilominus dactilos producunt. Cui dixerunt: quare fugis a mulieribus? Respondit: quia video eas fugere bona et mala sequi. Et dixit: miser a mulieribus nunquam absolvitur. Et dixit: quem tenent mulieres in posse suo est mortuus, vivus existens. Et[Page 457]

vidit quandam plorantem: ignis, ignis! Cui dixit: quid habes tu? Et dixit ei quedam mulier: vis tu aliam quam me? Et respondit: non verecundaris tu, offerre te non petenti? Et dixit: bene me confortasti. Et dixerunt ei: quales sunt sciencie quibus oportet puerum informari? Et respondit: ille ex quibus in annis provecti, ignorantes easdem, verecundiam paciuntur. Cui dixerunt: quando accepisti acquirere virtutes bonas? Respondit: quando incepti coartare animam meam. Et dixit: cum homo in tantum intendit acquisitioni sapiencie, quod propter hoc spernit omnem vulgi derisionem, tunc est sapiens. Cui dixerunt: verba que illis dixisti credita non fuerunt; qui respondit: non curo ipsa credita non fuisse, sed curarem si non fuissent directa. Et dixit: bonus in alciori statu est qui nititur bonitates habere propter se; et in secundo statu cum nititur illas audire ab alio, et qui neutro modo curat de eisdem, est vilis. Et dixit cuidam discipulo suo: non sis invidus pro eo quod finibile est, sed sis invidus pro eo quod perpetuum est et fixum. Et dixit: vita mala et committentes ea, et asociare sapientibus et eris bonus ex ipsorum societate, et honorabis eos, et aperient tibi sua secreta. Et dixit: non scruteris hominum commissa et ipsi tuam non exquirent. Et dixit: preponas sensum seu[Page 458]

discrecionem coram te in omnibus tuis rebus, et eris bene munitus ad exequendum eas. Et dixit: non omittas facere bonum, licet non cognoscant homines illud. Et dixit: vere nescius est qui pingit in eodem lapide bis. Et dixerunt ei: quomodo est turpis facies tua! Et respondit: non existit in posse meo non habere turpem faciem, igitur ex eo non debeo culpari; illud autem quod in posse meo est, illud paro et polio; sed tu quod erat in posse tuo dehonestasti. Et dixit uni ex discipulis suis: ordina animam tuam contra tempestates, quia qui in mundo est, non est securus aliquo modo non pati eas. Et dixit: sis legalis committenti se tibi, qui de te gerit fiduciam, et sis fidelis, et eris securus vitandi malum finem. Et dixit: facias aliis quod

tibi vis fieri, et non facias quod tibi fieri non vis. Et dixit: propter experienciam homo corrigitur et propter mundi transmutationem predicatur. Et dixit: liberalis est qui bone fame delectationem plus appetit quam pecunie. Et dixit: patiencia est forte castrum et festinancia penitenciam adducit, et honor fructus est veritatis. Et dixit: propter veritatem et legalitatem honorant te tui amici et propter omittendum quod non proficit complebitur bonitas tua. Et dixit: sufficit homini scire quod intuetur de contingentibus mundo et per id, die qualibet, potest novam scienciam habere. Et dixit: qui bona querit a hominibus est honorandus; et qui mala, periclitatur; et custodia non proficit ignorantibus, iustus autem securus est. Et dixit: qui aspicit se ipsum, lucratur, et qui se ipsum negligit, perdit, et qui patiens est consequetur bonum, et qui non, penitebit, et qui facit se ipsum salvat. Et dixit: semina bona opera et sequetur alacritas.[Page 459]

Et dixit: habere modicum et sufficere est honor; habere multum et non sufficere est dedecus. Et dixit: societas sensati et requies, et ignorantis est labor. Et dixit: cum ignoraveris exquire, et cum erraveris corrige, et cum male feceris peniteas, et cum peniteas non recidas; et cum aliqua bona peregeris occultes, et cum ea non feceris, bonam excusationem exhibe. Et dixit: qui bene agentis gratiam retributionem impendit, debitum compensat. Et dixit: non associeris non cognoscenti se, nam cum tali non potes bonam vitam ducere. Et dixit: illius, qui non curat de eo quod perdit, anima quiescit et sensus clarescit. Et dixit: ille qui non gratificat bona sibi collata, non recipiet in bonis propriis incrementum; et qui redarguit se ipsum, assecratur de redargutione alterius. Et dixit: compositus est qui moderatur suam vitam et habet verbi sui custodiam. Et dixit: non pudeat te querere veritatem cuiuscumque dicentis, quia veritas in se nobile quid est, et sua nobilitate suum nobilitat referentem. Et dixit: quod facit hominem excusari a dedecore, est melius divitiis dedecora inducentibus. Et dixit: defectivus non potest sui ipsius percipere defectum, et si perpenderet excessum alterius comparatione sui dolorem haberet. Et dixit cuidam qui fugiebat de bello devictus: male facit fugiens mortem ut veniat ad ignominiosam vitam. Et dixit quando extraxerunt eum de carcere ut occideretur, videns uxorem suam plorantem: cur ploras? Cui dixit: quomodo plorare non debeo cum te videam contra rationem occidi? Et dixit Socrates: velles magis quod secundum iusticiam me occiderent, quam contra? Et dixit: miseri excludatis miseriam vestram a morte, sciencia vestra. Et dixit: qui errat priusquam in se veritate utatur, est indulgendum eidem;[Page 460]

sed erranti, veritate cognita, indulgeri non debet. Et dixit: vinum et sapiencia non possunt in eodem consistere, cum contraria sint. Et dixit: egestas sensato est castrum quo se tuetur a turpibus, et inscio est incessus per ea. Et dixit: que perduntur a nescio non recurantur, et quod habet sapiens, quocumque ierit, secum est. Et dixit: blandimini seu compescite iram silencio. Et vituperavit eum ignorans; cui dixit unus ex sociis: concede mihi licentiam ut te vindicem. Et respondit: sapiens non est qui male operandi exhibet licentiam. Et dixit: iusticia roborantur singula, et iniusticia infirmantur. Et dixit: quicquid facias, scias certe quod occultari non potest quia, licet lateat illud modico tempore, postmodum erit scitum. Et dixit: bona fama est sensu melior, nam sensus consumitur, fama durat. Sapiencia vero est opulencia que non perditur nec minuitur. Et dixit: cave ab ebrietate quia sensus mero occupatus similatur equo prostranti ascensorem et deinde liberius evaganti. Et dixit: vides, si quem super tuis factis consulas, quomodo ipse se gubernet in suis; nam si male in suis se habet, quomodo in tuis bene, cum te minus apreciet quam se ipsum? Et dixit: cave adversus leges, populo utiles, incedere. Et dixit: male acquisitis divitiis eligibilior est paupertas. Et dixit: homo absque scientia est sicut provincia absque rege. Et dixit: decet regem ad sua servicia eligere quem, priusquam regnaret, bonum et fidelem cognovit. Et dixit: qui reputat homines omnes equaliter, amicos habere non potest. Et dixit discipulis suis: committatis omnia vestr aDeo, nichil penitus excludentes.[Page 461]

Et dixit: non parvi pendas tua peccata, ne ab hoc in eis addas; item opera tua bona non magnifices, quia adhuc melioribus indigebis. Et dixit discipulis: cavete a mundo, ipsum statuentes

vobis velut cardonem super quem calcare vos oportet. Et dixit: sicut utentes sensibus corporalibus irasci desinunt in presencia regis, eodem modo utentes spiritualibus sensibus irasci desinunt timore in presencia Dei, qui ubique in oculis hominum presens est semper. Et dixit: non decipiari de paciencia patientis quia, licet sandalj sint frigidi, ex eorum tamen collisione facta, ventis impellentibus, ignis aliquando erumpit, qui etiam totam arborem comburit. Et conduxerunt quendam qui vituperaret Socratem et ille, accedens ad eum, iniuriatus est ei; cui respondit: si scis invenire alium modum quo de me lucrari possis, hoc facias. In casa cuiusdam, fuit alteri facta reverencia maior quam Socrati; cui dixerunt: numquid invides illi, in tantum supra te honorato? Respondit: dolerem si sensu essem inferior eo, non aliter. Et dixit: sapiencia et bona fama non alibi reperiuntur quam in bonis; meliores ergo sunt quam divicie que inveniuntur in fatuis et vilibus personis. Et dixit: cogitet anima tua bene agere, et corpus faveat ei. Et dixit: quod recondis in anima non ostendas cuilibet, quia fedum est census in domibus recondere, secreta vero cordibus quibuslibet aperire. Et dixit quidam de Socrate, quem vidit humili modo vestitum: est hicne Socrates, conditor legum Atheniensium? Cui respondit: non fit in vestito lex veridica, sed in sciencia et virtute. Et dixit discipulis suis: despiciatis mortem et similiter mortem timentes. Et dixit: sapientis interest ut sciat de anima sua qualiter est bona.[Page 462]

PLATO interpretatur completus, qui fuit de bono genere grecorum, scilicet de progenie Esculapii. Cuius mater fuit de genere Zalonis, legum conditoris; et cepit primo discere artem poeticam placens ei quod discebat in ea sed abhominabatur quod sciebat in ea, non recedens a Socrate priusquam audiret eum quinque annis. Et obeunte Socrate, intellexit quod in Egipto erant quidam Pictagore discipuli ad quos accessit et proficiens cum eis redivit Athenas ubi statuit duas scholas in sciencia, ducens laudabiliorem vitam que possibilis esset, in faciendis bonis operibus et fovendis egenis. Atheniensibus ipsum invitantibus ad dominationem sui, dominari noluit, quia reperit mores eorum male ordinatos nec confidebat mores eosdem posse de facili permutari, quin immo, si ipsos omnino corrigere vellet, ut deceret, videbat, sicut de Socrate factum iam fuerat, sibi mortis periculum imminere. Vixit LXI annis, et fuit bone dispositionis, bonorum morum, collator bonorum consanguineis et extraneis, et multe etiam paciencie; multos habuit discipulos. Post cuius mortem sumpserunt scholas eius duo discipuli; unus dicebatur Cazanocrates, et alter Aristotiles. Et ostendit scienciam suam per allegoriam occultans eam, ut ipsam non intelligeret nisi sapiens. Didicit a Timeo et a Socrate assumens ab eis plures opiniones, ex quibus composuit LVI libros. Fuit demissi coloris,[Page 463]

pulchre forme, bone dispositionis, formosorum oculorum, habens in barba signum unum; fuit subtilium verborum, diligens semper secedere ad desertum et, ut vox sua quam aliquociens exaltabat locum eius non patefaceret, quasi duo miliaria iuxta desertum erat inhabitans. Et predicavit hominibus dicens: gracias agite Deo propter bona sua et misericordiam suam et quia omnibus benefacit equaliter, ita ut nec potentes, sua potencia, salutem magis quam debiles consequantur; similiter propter sensus quos omnes habent ab eo. Non cogitetis in eo quod necesse est, sed in eo quod convenit. Quid enim confert vobis aurum et argentum, et cuius proprietatis sunt? Et qualiter ea diligitis? Deus enim ordinavit quod nobis sufficiat in isto mundo et in alio; et illud est sapiencia et timor ipsius, que sunt claves bonitatis; propter quod lucrari omittetis quod inter vos efficit odium et inimicitiam. Si enim sciretis quam vile est quod apreciamini, potius odiretis. Sequamini dilectionem que provenit a proprietate forme, et non sequamini multum comestiones et potationes que sunt a proprietate materie; conemini forme assimilari et non materie, que forma perficitur. Et bene dixit Homerus materiam attribui femine et formam mari. Rectificate animas vestras, et rectificare alios studete; quod si non feceritis, damnabitis vos ipsos. Dico vobis in veritate quod ylaris existo eo quod aurum et argentum abhorru; maiorem nunc habeo delectationem quam habebam quando congregabam divicias, quia tunc augmentabantur mei cogitatus, et nunc mea crescit alacritas in sapienciam acquirendo. Et signum quod in auro et argento

non sit bonum aliquod est quod invenimus in aliquis terrarum modicum ossis eborei emi pro auro multo, et alicubi pro ere, aut vitro, vel aliis rebus; quod si esset bonum per se eligeretur[Page 464]

et diligeretur ubilibet, sicut sapientia que ubique terrarum eligitur et laudatur. Et dixit: inquirete animarum virtutes et salvi eritis, non laudantes vituperabilia neque laudabilia vituperantes; nitamini non esse abhominabiles, neque conemini acquirere quod cito perdetis. Sequamini bonos predecessores vestros, ornetis vos iusticia et castigater vestes induite et felices eritis, et laudabuntur acta vestra. Et dixit: consuetudo prevalet omnibus rebus. Et dixit; mali mores damnant et inficiunt opera velut aloes inficit mella. Et dixit: non decet sapientem advertere super eo quod perdidit, sed residue conservare. Et dixit: qui non benefacit amicis suis cum potest, deserent eum cum indigebit eisdem. Et dixit: bonitas sapientie seu sciencie est qua non potest serviri per alium, sicut potest in aliis rebus serviri, nec potest aliquis privari eadem sicut aliis rebus. Et dixerunt ei: per que cognoscitur sapiens quod sit sapiens? Et respondit: quando non irascitur dum sibi iniuriatur, nec, quando laudatur, exultat. Et dixerunt ei: per que vindicatur quis ab inimicis? Respondit: per incrementa proprie bonitatis. Et dixit: aspiciunt homines ad oculi cecitatem et proinde dolent, nec de anime cecitate turbantur quia non vident eam. Et dixit discipulis suis: conemini lucrari sensum cum quo dirigatis animas vestras, et conemini legem observare qua sit vester creator contentus. Et vidit quendam iuvenem amittentem bona paterna, que hereditaverat a patre; cui dixit: terra devorat homines, et tu devoras eam. Et dixerunt ei: quare non conveniuntur sciencia et thesaurus? Respondit: quia ex eisdem completum stare non potest. Et dixit: qui confidit in sua fortuna nec est sollicitus ad proficienda bona, retrocedit ab eis sicut retrocedit sagitta resiliens a lapide quem percussit. Et dixit: qui instruit alios in bonis que non operatur est sicut aliquis cum candela alios illuminans et non se. Et[Page 465]

dixit: qui non molestatur adulari populo, nec in tolerandis malis moribus iporum, magnus eorum gubernator censetur. Et dixit: non est rex qui regnat in servis, sed in liberis, nec est dives qui censum cumulat, sed qui in propriis serviciis laudabiliter ipsum expendit. Et interrogaverunt eum quid oporteat agere aliquem ut alio non indigeat. Respondit: si dives est, moderate vivat, si pauper, in labore persistat. Et quesiverunt quanto censu debet homo esse contentus. Respondit: tantum lucretur quod non oporteat adulari alicui, nec defectum habeat eius quod est sibi necessarium. Et dixit discipulis suis: cum studere cessaveritis, spaciemini in bonis ystoriis. Et dixit: decet sensatum non concupiscere amici divicias ut eum non despiciat, sed sibi adequari desideret. Et dixit: non spernas modicum bonum, si quod facere poteris, quia modicum multum erit. Et dixit: meditari regem in se ipso die uno est decencius quam uno anno tripudiari. Et dixit: operari per scienciam est res cognoscere et distinguere eas; et agere per ignoranciam est conculcare eas et sub dubietate relinquere; et agere per veritatem est res statuere per loca sua; et procedere per mendacium est non ordinare eas per loca sua. Et dixit: non credas esse paciens donec prevaleas tuis cupiditatibus. Et quesitus qualiter ad tantam scienciam pervenisset, respondit: plus olei in crutibulo quam vini in cypho consumpsi. Et dixit: oportet, cum conveneris aliquem puerum, quod cedas ei quo possit sedari ipsius error, alioquin malignabitur. Et interrogatus, quis espediat ad gubernandam villam respondit: qui bene gubernat se ipsum. Et interrogatus, quis meretur pocius nomen sapientis, respondit: qui magis consultat et qui magis dubitat quousque bene scrupetur et bene experiatur. Et dixit: vasa aurea probantur per sonos quos reddunt in sui percussione, cum experiuntur utrum sint solida vel rimata;[Page 466]

eodem modo comprobari debent homines eloquiis suis, quibus cognoscetur sensus et prudencia sua. Et dixerunt: quis est plus ignorans in actis suis? Respondit: qui magis innittitur consilio quo, et qui nunquam obedit sibi, et qui propter defectum suspicionis ad res se audacter exponit. Et dixit: sapiens, qui liberalis est anime, dominus est nature, et sapiens qui non est anime liberalis, nature servus existit. Et dixerunt ei: quis est salvus a turpibus operibus? Respondit qui ponit sensum suum pro fideli, et predicationem suum proventum, et patientiam suam

conclusorem, et eius timorem suam progeniem, et loqui de morte suum spaciatorem. Et dixerunt ei: quis facit maiorem iniusticiam sibi? Respondit: qui se humiliat cui non debet, et qui gratificat sibi laudes ab ignoto. Et dixit: ignorantes iudicant formosum et turpem prout exterius sensus discernunt; et exterius sensus non discernunt nisi membrorum superficiei pulcritudinem; pulcritudinem vero forme non distinguit nisi sensus interior, qui ratio dicitur. Et dixit: querens propria semita sapienciam reperiet eam, et plures errantes in ea non errant nisi quia propria semita non perquirunt eam, et per illam viam non perveniendo ad eam, non querunt per aliam, immo damnant eam dicendo eam mendacem. Et dixit: qui ignorat formam sapiencie non cognoscit se ipsum, et se non cognoscens est omnibus ignorantibus magis ignorans. Et dixit: qui novit quid sit ignorancia est sapiens, et ignorans est qui nescit quod sit ignorans. Et dixit: ire est honor adducens post se dedecus. Et dixit: rex est velut magnus fluvius nascens de parvis aquis; unde, si dulcis est, dulces sunt omnes parvi et, si salsus, omnes erunt salsi. Et dixit: si volueris tibi durabilem esse rei saporem, non pervenias ad extremum rei saporose, sed aliquod omittas ex ea residuum. Et dixit: caveas in prelio ne confidas in tua fortitudine[Page 467]

solum et negligas rationabilem sensum, quia aliquando sensus sufficit ita quod non expediat fortitudo, fortitudo autem a naturali sensu exausari non potest. Et dixit: eloquium sine opere est sicut inondatio fluminis submergens in se homines absque profectu sui. Et dixit: mali moris est hominem suspiciosum esse, quia propterea male vivet. Et dixit: nullarum delectationum huius mundi fruaris, quousque inter sensum et rationem seu intellectum de predictis concordet, ita quod non adversentur sibi ad invicem quia, concordatis predictis in unum, tunc cognosces pulcrum et turpe quare different. Et dixit: per tuam scientiam, qua percipis ignorare rem, sciendi eam habebis incesum. Et dixit: non commendes aliquem nimis cito, quia res ostendit quantum commendationis mereatur, et redundabit in tui deffectum. Et dixit: si negligantur iudices in negociis regnorum, et solum ad remorum gubernacula intenduntur regna perduntur, et similiter si, omissis operibus que expedirentur, fortuitis fiduciis intendatur; item si ad populationem terre non attendatur; item etiam propter diuturnitatem guerrarum regna perduntur. Et dixit: finis indignationis est erubescere de se ipso. Et interrogaverunt eum quo modo sapiens maxime molestatur; respondit: quando cogitur ignorantis veritatem habere. Et dixit: in quocumque videris discrecionem perfectam esse, certe scias in illo cupiditates fore debiles et infirmas. Et dixit: natura est anime famula, si non, anima infirmetur et retrahat se natura a famulatu ipsius alliciendo animam et trahendo ad oblectamenta mundana. Et dixit: debilitas anime cognoscitur quia homini de loco inexcogitato bonum provenit, et malum de loco de quo[Page 468]

non suspicabatur. Et dixit: rem non despicias modicam, quia poterit incrementum habere. Et dixit: non arguas hominem dum est iratus, quia tunc eum retificare non poteris. Et dixit: non associates duos domi, quorum alter alterum superare intendit. Et dixit: non leteris de casu alterius, quia ignoras qualiter contra te tempora revolvantur. Et dixit: statue sensum tuum a dextris, et veritatem a sinistris, et eris salvus et liber. Et dixit: nunquam doluit anima mea, nisi tribus de causis: scilicet de divite qui devenit ad paupertatem, et honorabili qui despectionem incurrit, et de sapiente quem ignorans derrisit. Et dixit: non te associates malis qui reputant tibi benefacere quia recedis ab eis. Et dixit: quando regnum procedit in melius, cupiditates famulantur sensui, et quando e contrario incedit, sensus cupiditatibus famulatur. Et dixit: non petas quod agantur opera ilico, sed ut congrue fiant, quia, quanto temporis opus perfectum fuerit homines non inquirunt, sed tantum si bene. Et dixit: bonus plus est uno bono verbo contentus quam si sibi stipendia multa darentur. Et dixit: tua beneficia bono collata retributionem expetunt, et impensa vili ad plura petendum inducunt. Et dixit: mali secuntur malicias hominum et proprias negligunt bonitates, sicut musca que infecta et corrupta depascit, et sane omittit. Et dixit: oportet sensatum in sui sensus semper consistere potencia, velut qui per mare vehitur, cuius corpus si mortem evadit, nichilominus cor timore non eximitur. Et dixit: qui de se non suspicatur plusquam sit, tuetur quod facit et quod novit, cogitans

in omni suo contrario esse errorem. Et dixit: decet sapientem se non exaltare supra ignorantem, sed humilietur ei in quantum Deus ipsum exaltari voluit super eum, et quod conetur, posse suo, ipsum retrahere de dubio ad veritatem, quia ei prave resistere est crudelitas, et gubernare eum suaviter est industria. Et dixit: bonus ex sapientibus aspicit ignorantem sicut respicit infantem cum quo pie agendum est, atque laborem subeundum[Page 469]

pro rectificando eundem. Et dixit: non satisfit hominis voluntati, quousque fuerit duorum inimicorum amicus. Et dixit: duo disputatores veritatem inquirentes non habent unde se odiant, quia eorum questio est ad idem; sed si alter alterum vincere intendat, odii causam ex hoc habere potuerunt, eo quod quilibet eorum conatur alterum ad suum velle conducere. Et dixit: cum quesieris alicui aliquid et non concesserit tibi illud, de te qui petivisti erubescas potius quam de illo qui non concessit. Et dixit: nitere acquirere sensum et sapienciam et dominaberis omnibus; cognoscent enim te tui speciales melius per ea que scis, alii vero, generales seu communes, per ea que habes. Et dixit: non potest bene gubernare multos qui unicam animam suam bene gubernare non potest. Et dixit: peior parcimonia est que committitur contra illum qui petere erubescit, et gravior superbia est que adversus illum infligitur a quo non damnificari est securus. Et dixit: aspice te a deceptionibus absolventem, et si obloqui ceperit de hominibus non recipias deceptionis absolutionem ab eo. Et dixit: oportet sensatum ut quod petere habet petat suaviter et plane et modicis verbis, quia sanguisuga de sanguine plus trahere lente solet, quam sinifex inquietans ac voce incitans quem pupugit. Et dixit: debilem animam tedet leviter eius quod diligit. Et dixit: vita anime constat ex suis bonis operibus tuentibus eam a morte, quia mortem non patitur ipsa nisi ex malis operibus, nec aliquis potest eam occidere sicut corpus occidunt, cum sit sublimior et nobilior eo. Et hec sunt castigationes Platonis. Deum cognosce et time; nitere[Page 470]

ad sciendum bonum et ostendendum aliis magis quam in tuis necessariis cotidianis habendis; nec petas a Deo quod non est utile semper, sed petas bonum durabile semper tecum; scias etiam quod cause malorum sunt multiplices; non diligas bonam vitam solummodo, sed diligas bonam mortem principalius. Et dixit: infelix est qui sui finis est immemor, a sua malicia non divertens. Non statuas tua lucra in rebus existentibus extra te. Non expectes merentibus bene facere quousque requirant illud, sed eis benefacias a te ipso. Non est sapiens perfectione qui in aliquibus rebus mundanis letatur, nec qui desperat in adversitatibus suis. Vilitas humani sensus in multiloquio agnoscitur eorum qui non conferunt in relatione rumorum. Cogita pluries, demum loquere et fac, quia res de facili permutantur; nec irascaris subito quia, si facere assuesceres, dominabitur supra te. Si concepisti dare aliquid indigenti, noli procrastinare, quia quid de te contingere debeat, ignoras. Delatum adiuva nisi eum mala opera deferant. Ne sis sapiens dicto solum, sed facto etiam, quia sapiencia tantum verbalis perit in mundo isto, et sapiencia facti utilis est in mundo eterno quia qui bene operatur, licet taceat, ipsum pro nobili reputat Deus, et oraciones et sacrificia ex malis operibus reputat vilia. Si bene faciendo laboraveris, labor annullabitur, bonum quod feceris perpetuabitur, et si delectationem habueris ad peccandum, annullabitur delectatio et peccatum remanebit. Memor eris diei qua vocaberis et non audies, qua lingua loquax silebit, cogitatus deficiet, obscurabuntur oculi, et in terra consumetur humanitas et corrumpentur sensus, ita quod tui corporis odorem sentire non poteris, nec senties qualiter vermes tui corporis putredinem fugant. Memor eris etiam quod ad locum ibis in quo nec amicus nec inimicus tibi prevalebit, et in quo sunt domini et servi equales. Ergo conare ad bonam disciplinationem, quia quando erit recessus tuus ignoras. Scias[Page 471]

tamen quod inter Dei donaria sapiencia est excellencior. Retribuas bono et indulgeas malo. Meditare jugiter in tuis agendis, nitens ad illa intendere, non confidens in aliquo huius mutabilis mundi, nec vel aliquid agere turpe ob delectabilia lucra, et propter huius mundi variabilem lasciviam non deseras alacritatem eternam. Dilige sapienciam et audias sapientes; obedias domino, non agas aliquid [nisi] tempore suo et, si tempore suo feceris, nichilominus qualiter feceris attendas. Nec inutile proferas

verbum, sed utile; et si utile protuleris, in proferendo cautelam appone. Non propter divicias te exaltes, nec eventibus desperes sinistris. Componas te apud omnes, nec aliquem humana vilitate despicias. Si quis agere non reputat malum, non vituperes alium cum fecerit. Non debes velle laudari de eo quod in te non est, nec facias aliquid cuius factorem vituperaveris. Oportet te facere quod decet, licet non tibi mandetur et vites quod non convenit, licet tibi non inhibeat. Et dixit: oportet sensatum ex se scrutari sic, ut errorem suum reputet magnum, et suum recte agere modicum. Et dixit: turpe est quod sicca excidamus a vineis, nisi et a nostris animabus cupiditatum superflua rescedamus, et corpus prohibeamus a multitudine cibi ob sanitatem ipsius et [non] prohibeamus nos a multitudine viciorum ob salutem animarum nostrarum. Et dixit: qui nobilitati sui generis, anime sue nobilitatem adequat, ille censetur bonus; qui vero nobilitatem anime sue despicit solum paterna contentus, vituperatur proinde, quamlibet maioritatem prodemerens. Et dixit: non emas servum multe cupiditatis, quia incontinenti alium appetet dominum, nec fortis ire quia vilipendet te dominum,[Page 472]

nec magni sensus quia contra te fraudem aliquam committetur. Non exultes propter valorem quo excedis tibi similes, quia hoc fructum meliorationis: absorbet. Et dixit: si regi magis aliis fidelis extiteris et stipendia tua aliis sint equalia non doleas, quia tua durabilia sunt, illorum autem non. Et dixit: si aliquis invidet tibi deferendo te, non respondeas sibi modo que meruit, ut viam non inveniat rationabilem propter quam mala tibi procuret, que non deficiet satagenti. Et dixit: non est idem recte opus in temporibus diversis; verumtamen nitaris esse opera iuxta qualitatem temporis in quo eris, non derogando propterea fidei nec bonis moribus; quod si facere nequiveris, ab eis desistas, alioquin magis perdes in anime tue offensam, quam in opere ipso acquies. Et dixit: blandieris hominibus, tempore tui domini, quia cum hoc prevalebis coram eorum cordibus [qui] a te declinare cernuntur. Et dixit: non attendas ad aliquid iuxta statum et condicionem in qua corpus permisit, sed prout in veritate se habet attendas quia ille est eius status et conditio naturalis. Et dixit: non potest quisquam cum amico suo conservare amorem, nisi qui est suavium morum, amicos sustinere valens errantes. Et dixit: sapienti convenit eligere homines ad sua beneficia, sicut ipsi eligunt bonas terras ad incolatum ipsarum. Et dixit: modicum errorem non despicias, licet fiat cum pluribus rectis operibus, quia error est sicut humor malus qui, licet vincatur ab aliis chimis contrariis, tamen, nisi expellatur a corpore, verendum est ne prevaleat aliis chimis, aliquibus, intervallo temporis, causis adiutus. Et dixit: cum servies alicui domino, noli fieri equalis sibi nisi in fide, sensu[Page 473]

et patientia; in aliis vero nequaquam, cavens ne te aspiciat equalem in statu aut vestitu vel in suis deliciis. Et dixit: non vult dominus a te servi quia te putes amplius eo scire; sed reputes te velut forficem qua ignita demuntur non possibilia digitis apprehendi; ergo, quanto sciveris magis eo in illo de quo sibi servieris, tanto magis ei humilis existas. Et dixit: si volueris scire naturam alicuius super aliquo, consulas eum, et ex hoc cognosces equitatem suam vel iniquitatem, et suam bonitatem vel maliciam. Et dixit: non indiget ingenio nisi querens magis eo quod potest. Et dixit: viles reputant, propter bona que agunt, homines obligare, et honorabiles reputant se debere fecisse, et propterea se exonerant tanquam exolvere tenerentur. Et dixit: bonus gratificat de bonis receptis iuxta possibilitatem conferentis et satisfactionem recipientis; vilis vero non gratificat nisi iuxta qualitatem collatorum. Et dixit: cum homines tuas numerabunt virtutes, malicias tuas in te ipso attende latentes; confide magis in eo quod in te ipso conspicias, quam in eo quod homines dicunt. Et dixit: cum viderit aliquis, animum suum reputare conveniens, in hiis ad que solebat manum extendere, contrahere, et in bonis que conferre solitus fuerat aggravari, non tamen ex aliquo contingenti defectu, scias quod venturum est aliquid quo humiliabitur status eius. Et dixit: pena liberalis est penam merenti bona sua solita non conferre, et illiberalis est pena obesse non diligenti eum, eo quod nunquam alicui benefacit. Et dixit: cum litigaveris cum inimico, non obedias ire que magis inimicatur tibi quam sibi. Et dixit: cum posse habebis, vites iram quia non permittit rei inspicere finem, immo

nitaris eos, qui vexantur iniuste, tueri et infortunatis prodesse.
Et cum exaltabitur status tuus, nitere satisfacere hominibus, quia[Page 474]

illud est validius castrum et arma que haberi potuerunt forciora.
Et dixit adversarium contra te machinantem nitaris ad equitatem
reducere potius quam procurare vindictam, nam vindicta est
utrique damnosa, et preservans equitas utilis utrique. Et dixit:
honitas palme assimilatur, que fructus tarte producit et vix temporis
diuturnitate corrumpitur. Et dixit: homines huius mundi
sunt velut homines conducti ad opus aliquod faciendum, quorum
unicuique concessa est quedam comitiva ad eorum auxilium
et opere ipso. Unus tantum ex eis conatus est ad perficiendum
opus ei commissum, nec intendit in alio, immo
procurat bene serviri a comitiva sibi stabita, compellens eos,
et dirigi eos fecit donec opus eius completum fuit: et bene sibi
evenit de laudabili expeditione ipsius, quare reputatur sapiens
cum iuxta suam scienciam sit laudabiliter operatus. Alter vero
nisus est facere quod socius fecit, sed habuit impossibilitatem
satisfaciendi de mercede sue comitive et, licet adularetur et blandiretur
eis, nichilominus damnificatus est in opere suo; et iste
est deliciosus. Tercius vero rexit se auxilio societatis sue quibus
pro voto mercedem exhibuit; qua data, eum eis se oblectamentis
exhibuit usquequo oblitus est omnium que commissa erant sibi
et dum postmodum vellet incumbere operi, non valens perficere,
desistit quia male successit sibi: et iste est venenatus in
cupiditatibus. Et dixit: reduc homines ad equitatem suaviter,
alioquin eris in labore et pugna cum eis. Et dixit: avarus est
grate receptionis et immense detentionis, et magne tolerancie et
hoc deputat loco beneficii; et aliquis eorum magnanimus reputat
unum melius altero, nam appreciatur potius bene recipere et
non dare quam dare tamen male recipere. Et dixit: debilior
inter homines est qui impotens est suum celare secretum, et[Page 475]

robustior est qui potest suam vincere iracundiam, et potencior
qui suam scit abscondere paupertatem, et temperancior est cui
sufficit quod habet. Et dixit: noli serviri ab aliquo de eo quod
non inest a natura sibi, licet ex debito teneatur; quia plurimum
turbabitur cum laborare oporteat in faciendo eo ad quod non
est aptus. Et dixit: non te cogat cupiditas adulari hominibus,
quia perdes de beneficiis anime magis eo quod lucraberis cum
eisdem. Et dixit: cum deterioratur tempus, virtutes despiciuntur
et vicia et vilitates commendantur, et precio habentur, et timor
divitis maior existit. Et dixit: liberalis avarum derridet in
obitu ipsius, et avarus derridet liberalem in paupertate ipsius.
Et dixit: ira, cupiditas et alii affectus anime, habent in se quantitatem
quandam qua dirigitur et gubernatur hominum status in
quo consistunt; qua quantitate excedente, provenit nocumentum;
nam ira assimilatur sali quo cibaria condiuntur, qui, si
fuerit decentis et moderate quantitatis, cibaria apte parantur, si
vero magis, cibarium devastatur; et similiter se habet in aliis
virtutibus. Et dixit: est quoddam regnum quod assimilatur puero,
aliud inveni, et aliud seni assimilatur; verbigratia, si proventus
regis, sumptus eius et familie excedunt, regnum illud dicitur
puer, quia hostenditur durabile satis; et si equantur ad invicem
proventus et sumptus, dicitur iuvenis; et si sumptus redditus
superant, dicitur senex diminutus viribus, quod regnum est modice
durabilitatis. Et dixit: decet regem satisfacere de stipendiis
stipendiariis sibi servantibus, alioquin societas despiciet eum
et dominium suum. Et dixit: rex regnans in rectitudine et iusticia,
secretorum sui populi rex est, et regnans cum iniquitate
et violencia, ostendunt apparenter eum velle libenter in regem
eorum, tamen veraciter votum inclinant ad alium qui dominetur
et regnet in eis. Et dixit: obedias beneficientibus et aliquid
concedentibus tibi et tuos dominos tales stabilias, quia hii sunt
domini tui. Et dixit: aliqui reges habent pro bono semper conservare
statum unius generis, ex subditis tamen, et in hoc
valde falluntur quia unum genus hominum non necessario est[Page 476]

in condicione et statu eodem, immo quandoque variatur status eorundem
et minuuntur bonitates generis illius, assimilano terre
in qua seminatur continuo semen unius nature que, temporis
processu, corrumpitur et mutatur. Et dicit: oportet dominum secedere
a populo et non familiariter conversari cum eis, alioquin
despicietur, cum de natura populorum sit despicere se invincem
et conversantes cum eis; unde quemlibet conversantem unum et

idem reputant sibi ipsis. Inverecundia in quoquam est cecitas quedam sui cogitatus, eo quod non cogitat inverecundia in rebus emergentibus sibi, et propterea agit sicut habens debilem visum qui res modicas et minutas non videt, sed alter intuetur easdem. Et dixit: bonitas regum est secundum dispositionem aspectus et considerationis quos habent ad leges suas; et eorum a bonitate defectus, est iuxta quantitatem elongationis ab eis; nam per observationem legis et intuitu ad eam, conferunt ipsi reges populo que conferre tenentur et debent, vel ab eodem auferunt que habent auferre. Et dum non habetur ad legem intuitus, auferunt a populo quod auferre non debent, et, ad que tenentur, eis reges debitum non impendunt; propter quod reges iidem extunc reges iusticie reputantur auctoritate privati. Et dixit: illi quos magis reges diligunt, sunt illi quos sciunt acuti sensus esse et cupiditates vicisse. Et dixit: errores velocius impediens sunt errores in navium gubernacione, et in observatione domorum regum, et in pugnarum ordinacione commissi. Et dixit: quem pater nec instruit artem vel scienciam quibus aliquid lucretur, filius ille non tenetur necessitatibus respondere paternis. Et dixit: cum rex adiunxit te sibi, tuam sit peticio minor grata receptione ipsius, si aliquid petere te contingat; et quando cum eo ad partem secesseris, loqui super tuis non procures agendis, immo referas quibus satisfacias votis ipsius. Et dixit: non[Page 477]

feras coram rege inimici sermonem aliter quam fuerit prolatum ab eo, nec ornes eum in aliquo, ne forte quod menciari ei habeat te suspectum. Et dixit: cum in utilitate regni processeris magis alio tibi equali, propter ea quod melius agas eo, superbire non debes, quia ex hoc minus reputabitur quod egisti; nam niti debes ad compescendam animam tuam ab invidia, et ad acquirendum hominum corda ut ipsorum fruaris amore. Et dixit: ad vituperandum illud quod laudasti non redeas, immo sustineas conans applaudere, quia ex hoc quod predixisti videris obligatus eidem. Et dixit: patitur Deus iniquum donec iverit contra statuta legis, que cum excesserit, opponit se sibi et destruit eum. Et dixit: cum eloquium coheret voluntati loquentis, quiescit auditoris voluntas, alioquin non potest suum amplecti sermonem. Et dixit: consilium petas a senibus non quibuscumque, sed ab illis quos intellexeris expertos fuisse multorum; non expertos vero, aliquatenus non consultes. Et dixit: bonus rex ille censetur cuius claret in vita fama laudabilis, et de cuius, post obitum, sermocinatur virtutibus. Et dixit: magistrum non approbes in scienciarum multitudine, sed in defectibus viciorum. Et dixit: cum videris mortuum, scruteris in anima tua si natura es sibi equalis; et si equalis fueris, memor eris ad eandem condicionem te pervenire debere. Et dixit: permunias te semper cibo necessario in itinere tuo, et quod eodem die movere expediat, mente coniecta. Et dixit: non iudices priusquam utrosque audias contententes. Et dixit: esse in vacatione non placeas, nec de bona tua fortuna confidas, nec peniteas de bonis operibus tuis. Et dixit: qui inopiam timet et casum, ad obtinendam non nitetur famam. Et dixit: felicior est qui de suorum malorum secedit dominio, et qui sue non obedit ire, et qui, inter condiciones hominum, minorem debito reputat statum suum, et qui suos eo modo non distinguunt introitus quod exitus non advertant. Et dixit: amor in rebus habitus, ipsarum celat malicias, et[Page 478]

odium habitum in eidem bonitatem occultat. Et dixit: iniquus precipit aliis que complere non possunt, contra quos irascitur cum perficere non possunt, et tunc ire de suo fine non permittit cogitare quia suus sensus perversitate anime obumbratur, qualiter anima sua perversa similatur in eo statu loco obscuro quem sol illustrare non potest. Et dixit: male divicie periculose sunt domino, et eo maioris periculi quo ipsorum superfluitas excedit condicionem habentis; nam assimilatur cibo stomachi exuperanti virtutem, qui impedit et debilitat comedentem. Et dixit: cum volueris super aliquo tibi consulere que accidere possunt, membra singula sint partes consilii tue circumspectionis presentes, quia consilium se habet loco verbi, membra vero et distinctiones loco litterarum quarum, deficiente aliqua, alius habebitur intellectus. Et dixit: non vivimus naturali vita nisi ut vitam consequamur intellectualem; igitur, ex quo vitam naturalem non nisi propter intellectualem appetimus, indulgeamus virtuti naturali non amplius quam expediat per illam. Et dixit: oculus amantis cecus in amato censetur. Et dixit: propter

bene operari laborem subtineas, et propter mala que non commiseris non tristeris. Et dixit: deliciosus ad ea que sibi conferunt oblectamenta accedit priusquam intueatur si bene operetur aut male. Et dixit: maxime parcus est qui non concedit id quod aliis satisfacit et sibi defectum non facit. Et dixit: rectificare non coneris valde corruptum, quia priusquam eum rectifices corrumpere. Et dixit: boni moventur facilius ut bona indulgeant quam mala impendant et, magis quam pro malis, ad recompensandum pro bonis; mali vero in contrarium operantur. Et dixit: iniuriator excusat se consuetudine, et rectus ratione. Et dixit: quando cum doctiore loqueris, tuum non prolonges sermonem, et quando cum minus docto te loqueris, proroges, quia ex fine verborum quod non potuit a principio apprehendet. Et dixit:[Page 479]

non proficit in sciencia qui furtive vult eam acquirere, quia hec vilitas persone nisi in vili anima esse non potuit, in qua nec accrescit sciencia, nec fructum produxit. Et dixit: quando docebis discipulum qui non leviter discat quod hostendes procura ut non sine labore concipiat; immo, ut cogitet in hiis que docueris, statue loqui obscurius et, cum videris eum intelligere impotentem, quod clausum est ostendas aperte. Et dixit: quando expedierit tibi consulere aliquem super aliquo emergenti negocio, primo iuvenem cures consulere, demum senem consultes. Et dixit: consilium eque sapientis ut tu, melius est tibi quam tuum; quia bona voluntas que te a bono consilio retrahit eligendo, in alio non existit. Et dixit: non tuearis illum qui per te deffendi intendit in eo per quod tua bonitas minuitur. Et dixit: boni semitam generationis multiplicant, et mali semitam corruptionis accrescunt. Et dixit: modicum non reputes unum inimicum habere, quia malum maius quam cogites tibi poterit oriri ab eo. Et dixit: res que est contra naturam vires habet suo inicio forciores, et res naturalis in fine. Et dixit: rectum est uniforme, et ab hoc indirecte frui est facile, et difficile recte, et hoc est simile emissioni sagitte que, ut recte dirigatur ad signum longus expedit usus, et e contrario non est opus usu ut erretur vel divertatur ab eo. Et dixit: non est conveniens pravorum dominium quia, licet bonum videatur aliquo tempore, ad malum tamen deveniet finem. Et dixit: maius detrimentum quod regnum habere potest est propter elatos corde qui, habentes meliorem quam meruerint statum, alios se meliores despiciunt et tali modo ordinatio regni pervertitur et turbatur; expedit ergo domino quod constituat et ordinet quemlibet modo et loco[Page 480]

suo ut meruit velut medicus operatur: equalitatem et moderationem humorum corporum investigare et servare nititur, qua durante, salus egri perduret. Et dixit: sensus est honorabilior voluntate, quia sensus temporis te statuit dominum, cuius temporis voluntas te nititur stabilire servum. Et dixit: magni cordis est qui non concipit ex paupertate gravamen. Et dixit: bonorum morum est quicumque malorum morum alium pati potest. Et dixit: habens bonas virtutes substantialiter nobilis est, et, si actualiter habet, facit se nobilem cum non sit. Et dixit: salvus est qui regibus in fidelitate et cum pietate populo servit, nec statum in quo est decipit eum, nec propter malum desperat aliquatenus quo gravatur. Et dixit: moderata verecundia facit hominem amittere quod competit sibi minus, superflua facit omitti quod competit, sed diminuta et modica aliquid quod non competit cogit invadi. Et dixit: consulas in negociis equalem tibi quia ipse maxime intelligit quod opus est tibi. Et dixit: non molesteris erga dominum si de omnibus suis negociis tibi non incumbit, nec per te sua manutenentur agenda. Et dixit: cum inimicus tuus ad posse tuum pervenerit, de inimicorum tuorum numero exiit et sociorum consorcium est adeptus. Et dixit: boni quando aliquid petunt ab aliquo et conceditur eis, sciunt pro eo retributionem impendi debere, quare reputant ad terminum tantum emptionem fecisse, et obligatos existere ad solvendum; et cum non conceditur eis, propterea non cogitant nec irascuntur contra illos qui non concesserunt eis, sicut accidit homini qui non cogitat super eo quod voluit emere et non emit; mali vero non similiter se habent, quia propter id quod conceditur non putant retributionem impendi debere, et ideo contra illos indignantur qui sibi non donant, quia perdunt donaria que exolvere non disponunt. Et dixit: inimici sunt aliquando utiliores amicis, eo quod inimici sua aperinut vicia, a quibus propterea[Page 481]

cavere studebit; et etiam propter metum ipsorum ne vindicare se valeant, bona conservat ut non subeat paupertatem. Et dixit: non te intromittas ad aliquid faciendum, donec sensus providerit illud delectabiliter faciendum. Et dixit: malo te non asocies, quia tua natura absque tui noticia aliquid subripiet de natura ipsius. Et dixit: faveas semper bono consilio quia, licet ut sperabas non accidit, confortaberis attamen eo quod per te non remansit agere quod debebas. Et dixit: decet hominem in speculo suam faciem intueri quia, si viderit eam decoram, pro malo geret agere turpe opus; si vero turpem censuerit, nollet duo turpia congregare. Et dixit: expedit sensato quod in potuum dulcedine medicine amaritudinem memoretur. Et dixit: bonitatis est finis quod habeat quis verecundiam de se ipso. Et dixit: qui bene ad ea que proferuntur attendit, ipsemet cum proferente exponit. Et dixit: nullus erubescit de sene ob sui etatem vel albedinem capillorum, sed erubescit propter sui sensus substantiam illustrantis eundem; oportet igitur ut, cum eadem in nobis fuerit substantia, pudorem habentes ab ea, turpibus non utamur. Et dixit: ratiocinando cum eo si nobilem viceris, te gracios diliget et potius honorabit; et si obtinueris contra vilem, vilis te odiet. Et dixit: cum dominus non attendit ad sua negocia, sperans se sibi sufficere, tunc, ea transiens, poterit pervenire faciliter ad aliquid adversum. Et dixit: oportet iudicem non rigidum esse sermone contra maleficii perpetratores quia, si non se haberet hoc modo, abuteretur auctoritate censoris. Et dixit: qui bona cibaria comedit nutritur ab eis, et etiam contrariis sustentatur. Et dixit: si volueris ostendere cui servis quod a serviendo sibi excusari valeas et ut tibi servias sis contentus, quod eximi possis tuis multis divitiis a suis familiaribus non hostendas, sed id procures efficere quod sicut sibi de plurimo, sic tibi de tuo modico satisfiat. Et dixit: molestius est inter omnia et laboriosius pauperem divitis, sapientis ignarum,[Page 482]

robusti debilem, apparenciam facere; nec obstare potuerunt quin vituperia graviora pertingant. Et dixit: res regi prohibita est ebrietas quia, cum rex regni sit custos, quam turpe est ipsum sui ipsius custodia indigere! Et dixit: inter reges est felix ille in quo dominium predecessorum dirigitur, et infelix ille in quo ipsum subicitur et privatur. Et dixit: ex consuetudinibus unamquamque quidam malam reputant, quidam bonam, preter fidelitatem quam reputant omnes bonam. Et dixit: bonorum bonitas invicem bonos cogit diligere; malorum malicias invicem cogit odire; nam videre potes quod veridicus veridicum diligit, et fidelis fidelem, mendax vero abhominatur mendacem, et latro latronem capit, nullam cum eo cupiens propinquitatem habere. Et dixit: qui constantis est anime bono se regit consilio, qui vero infirme ac debilis, committit omnia communi dispositioni fortune. Et dixit: convenit vicedomino regis ut erga populum patienciam habeat et iram suam compescat; et si forte rex crudelis extiterit, ipse cum hominibus mansuetudine operetur; et si rex multo fuerit mansuetus, ipse rigiditate fruatur qua suppleat regis defectum. Et dixit: expedit nullum absolute super regno prestare consilium, nisi illum quem re statuit pro se ipso in regno, ut propterea mala consilia non emergant in eo. Et dixit: mali credunt de hominibus quecumque mala feruntur ut malignandi ius habeant et eo quod malis consuetudinibus pociantur. Et dixit: non imitaris operibus, dum verba sufficiant. Et dixit: qui legi non credit, eum mederi non cogitemus quia qui ob cibaria suffocatur cum aqua medetur; qui vero aqua suffocantur curationem non recipiunt alicuius beneficio medicine. Et dixit: non inhabites terram in qua sumptus lucra exuperant et in qua prevalent mali bonis, et ubi domini plurimum menciuntur. Et dixit: utile est tacere super eo quod scieris[Page 483]

dicere non posses. Et dixit: qui scienciam addiscit ob nobilitatem sciencie et non quia aliquid lucretur ex ea, nobilitatem acquirit; qui vero propter lucrum aliquod addiscit, non sic. Et dixit: si volueris insipientis domini amorem, suam sequere voluntatem; si vero sapientis, que sunt ad propositum vel contra rationem ostendere non omittas. Et dixit: cum tuo adversario cum contendis, contra eum non statuas veritatem ut efficiaris sicut sagittatoribus signum et speculum oculis intuentis. Et dixit: in eo qui tuum requirit amorem falli non debes quousque sciveris quare requirat ipsum; quia, si querat eum propter substancialia que in te sunt, amor poterit esse firmus, si propter

accidentalita que in te sunt, non poterit esse firmus eo quod ex defectu alicuius ipsorum, evanescet amor ipsius. Et dixit: oportet sapientem requirere et fovere amorem amici decentibus operationibus et inductionibus bonis, sicut puer requiritur et fovetur tempore nativitatis, et plantula cum plantatur, et demum fructificat iuxta solitudinem habitam in cultura ipsius. Et dixit: valde vilis est qui se ignoranti humiliat et qui cuius non habet noticiam laudes acceptat. Et dixerunt ei: qualiter poterimus cupiditates vitare in qualibet parte corporis nostri sitas? Respondit: in quocumque est cupiditas, est ratio qua illud per quod deviat devians bene discernit et ei potest ob stare. Igitur qui se ratione gubernat, potest cupiditatum effugere servitutem. Et dixerunt ei: quibus modis potest bene dari consilium? Respondit: duabus de causis, scilicet aut multiplici experientia aut viribus rationis immensis. Et dixit: aliqui alicui invident[Page 484]

per id in quo sua iacet tempestas. Et dixit: cupiditates et hominum voluntates reperiuntur iuxta regum suorum cupiditates et voluntates ipsorum. Et dixit: nitere bene remunerare illum qui benefactor est tui, quod si agere es impotens verbo grates impende; verbo tamen non sis contentus donec satisfactionis opera se possibilitati exponant. Et dixit: si aliquid contra aliquem commiseris, licet sit modicum, non dormias donec convenienti satisfactione finaliter sedes illud. Et dixerunt ei: potestne homo semper bene facere? Respondit: potest, quia bene facere est grates Deo agere et memoriam a cupiditatibus malis excludere, et hec sunt duo que semper homo agere potest. Et interrogaverunt eum: quid est quo cognoscitur iustus? Respondit: ex eo quod non agat damnum alicui, nec loquatur mendacium ob sui profectum. Et dixit: deterior est inter omnes homines qui terretur recto. Et dixit: non invid eas illius divitiis qui sua gubernare ignorat agenda. Et interrogaverunt eum: quibus scienciam quis adipisci potest? Respondit: non expectando que evenire non possunt, nec preteritis contestando. Et dixit: non exinguitur ignis per id quod magis ex lignis occupatur, sed per defectum ipsorum; eodem modo sapienti sciencia non minuitur addiscendo, imo crescit; minuitur tamen defectu discentium: igitur eorum que nosti non sis avarus. Et dixit: spes est fallacia animarum. Et cum discipuli Platonis requirerent quod legeret eis et instrueret eos, respondit: prius venient auditores; et veniente Aristotele dixit: loquamur, quia iam auditores venerunt. Et dixit: malum est quod te pauperem facias, et si iniquitatem facias est peius. Et dixit: cum habueris amicum, expedit quod sis amici ipsius amicus, nec expedit quod sis inimici ipsius inimicus. Et dixit: insipiens est qui ex bonitate sue [vestis] et indumentorum, et non ex semetipso reputat se sensatum. Et dixit: bonus est qui levius potencio rem patitur et gravius minus potentem. Et dixit: decet sapientem non servire nisi qui sibi est[Page 485]

moribus coequalis. Et dixit: bonitatum incia insipida sunt, finetenus vero sunt dulcia; pravitatum autem e contra. Et dixit: fideles domini sua legalitate omnem thesaurum populi sui possident. Et dixit: non asocies te cum hiis qui de aliis oblocuntur, quia sic de te sicut de aliis facient. Et vidit quosdam plorantes super quodam mortuo, quibus dixit: non ploretis super eo quod plorare non confert, sed peccata vestra lugeatis. Et dixit: bonum quod velis non reputes modicum, quia modicum erit multum. Et dixit: sapiens non est qui ea que noverit discere ab alio nititur, sed que ignorat. Et dixit: convenit sapienti quod paret singula pro hiis que habere sperat et pro illis, que viderit necessaria, obtinendis; et non quemadmodum impossibilia sic vilipendat sperata, et specialiter cum illa sperata non sint certa, immo sunt casualia in quibus homo assecurari non debet. Et dixit: non sum lucratus ex sciencia nisi in quantum scio quod non sum adhuc sapiens. Et dixit: mali cogitatus hominem contingentes, sui corporis corrumpunt organa et ipsius bona ordinamenta depravant; et si tollerans patience multe non fuerit, ad alias virtutes anime se diffundent et eius, modo simili, ordinamenta corrumpent. Et dixit: ad correctiones puerorum non sitis asperi multum, quia ad correctiones valde asperas pravi fiunt; assimilatur enim puerorum rigidus castigator nitenti, sufflando, magnum ignem extinguere, qui flatibus potius inflammatur. Cui dixerunt: qualiter quis nititur ad obtinendas divicias, senex existens? Respondit: quia melius est in obitu relinquere acquisitas divicias inimico, quam in vita pauperem petere ab inimico. Et dixit:

duplex est dieta, communis et propria; communis est non nisi cum appetitu comedere, propria est investigare humorem aut qualitatem vincentem et eos obtemperare contraria opponendo. Et dixit: natura est anime servitrix; ergo non inebrietur anima, et tunc familiabitur sibi natura; ebrietas vero anime constat in omittendis bonis operibus, et malis imitandis, et nature servicia[Page 486]

sunt ad delectationes mundi eam allicere, et ab alterius mundi delectationibus prohibere. Et dixit: sciencia est anime tinctura, et tingibilia commode non tinguntur nisi prius ab immondiciis suis purificentur. Et dixit: cum tua discrecio prohibuerit aliquid te facturur, inobediens esse non debes, quia maius peccatum quod potest accidere est quod instiget se aliquis id agere quod vetavit. Et dixit: non oportet super perditis opus impendere, sed ut habita conserventur. Et dixit: mali capitale est fraus; eius vero gubernator est ira. Et dixit: una ex sciencie bonitatibus est quod ea, sicut aliis accidentibus, privari non potes. Et interrogavit eum Aristotiles in quo cognoscitur sapiens. Respondit: in eo quod per ea que noverit non se magno habeat precio; nec contra vituperantem aliquem irascatur nec, cum laudatur, fiat elatus. Cui dixerunt: quid est quod molestius reputas? Respondit: idque ex cuius prolatione dolebunt amici et ex ipsius silencio lex offendetur. Cui etiam dixerunt: quid est quod minus curandum est? Respondit: insipientis dehonestacio. Et interrogaverunt: a quibus cavere oportet? Respondit: ab inimico potente et a domino predatore. Et dixit: si volueris scire quis ex hominibus est tibi similis, quem sine causa diligis scisciteris. Et dixit: malus inimicatur bono quia dolet cum de eo bona dicuntur, quasi hec bona ad contumeliam sui sint. Et dixit: pravus sapiens delectatur in contradicendo sapientibus predecessoribus suis; sapiens vero bonus, ex sapientum amissione tristatur optans magis suam invalescere scienciam collocutionibus sapientum, quam in dominationis obtentu fervere. Et dixit: ex quo remittitur, non est conveniens impropere delictum, et propterea melius inficiari reputo antequam remittatur[Page 487]

eidem. Et dixit: qui in sua iuventute ira et cupiditatibus utitur, erit sibi in sua senectute molestum, cum voluptatibus frui non poterit debilitate membrorum; et qui a sua iuventute patitur discrecionem, licet eidem tunc temporis molestum sit, senectutis tamen etate erit bone quietis et status. Et dixit: avarus vult plus magnam remittere iniuriam factam sibi, quam retributionem pro modico beneficio elargiri. Et dixit: licet sis senex non erubescas addiscere etiam si fuerit infantulus qui te docet, quia ignorantia verecundia deterior est addiscendi. Et dixit: letatur sapiens qui novit se a mundi turpitudinibus evasisse, assimilans illi cui confracta est navis et ad litus, maris fluctuatione, collapsa, qui dum alios respicit periclitantes in undis, se evasisse letatur. Et instruxit discipulos dicens: cum fessi a studio vacabitis, vacetis bonis ystoriis quod tedio careatis. Cui dixerunt: quis est sapiens magis completus? Respondit: qui amplius alios consulit, et qui se muniit amplius, dubietatibus perplexus, queusque inveniat semitam scientie veritatis. Et dixerunt ei: quis est turpior in suis operibus? Respondit: qui nimis se suo sensu gubernat, et etiam qui nimis contra se ipsum incedit, et qui sic se in rebus exponit intrepide ut nichil suspicari videatur. En interrogaverunt eum: unde provenit subtilitas intellectus? Respondit: ex preclara et pura natura et e conversatione cum sapientibus in vita. Cui dixerunt: quis ex hominibus est completioris bonitatis? Respondit: qui suam refrenat iracundiam et suam voluntatem impugnat. Et dixerunt ei: quis est mundus et liber a turpibus operibus? Respondit: qui suam discrecionem statuit pro suo fideli, et timorem pro suo[Page 488]

vice domino, et predicationes pro freno, et pacienciam suum gubernatorem, et Dei timorem suum socium, et collocutionem de morte suum salvatorem.

ARISTOTILES interpretatur in ydiomate grecorum completus bonitatibus, qui patrem habuit nomine Nichomachus et interpretatur disputator vincens; hic fuit valde sapiens in arte medicine et extitit medicus Epichi, patris Philippi, patris Alexandri. Natus fuit idem Aristotiles in villa quadam dicta Stagira et tam pater quam mater descenderunt de genere Esculapii qui fuit de meliore genere grecorum. Et cum ad octavum pervenit annum, ad civitatem Athenarum que dicebatur civitas

sapientum, pater eius ipsum adduxit et assignavit eum retoricis, poetis et etiam aliis gramaticis instruendum, cum quibus studuit proficiens IX annis; huiusmodi scientie litteralis ydiomatis nomen imponentes, eam vocabant circumdatorem eo quod erat organum et escala ad sciencias omnes. Et aliqui sapientum illius temporis pro nichilo reputantes rethoricorum, poeticorum et gramaticorum artem, sicut Pictagoras et Pictoras, derridebant singulos qui in hiis discendis artibus laborabant, dicentes in nulla sapienciarum illas existere oportunas, cum gramatici non sint nisi ad pueros instruendos, poetici ad narrandum fabulas et mendacia componenda, rethorici vero ad suadendum verbis politis et blandiciis exornatis. Quibus auditis Aristotiles erubuit valde et motus est acriter et conatus tueri gramaticos, poeticos[Page 489]

et rethoricos, et ratiocinans pro illis dixit quod sapiencia a predictorum sciencia excusari non potest cum ratio sit sciencie instrumentum et hoc manifeste apparet: nam, cum scientes non sint nisi ratione utentes, cum hec sit prerogativa hominum respectu bestiarum, dignum est ut inter homines nobilior et rectior sit qui est magis completus ratione, et qui melius et decentius exprimit corde recondita, et qui profert ea loco convenienti et tempore, et qui breviter et modo mirabiliori exponit. Et quia sapiencia est nobilissima rerum, meliori ratione et decenciori que exprimi valeat debet ostendi, verbis magis apropiatis et certis et brevibus magis absque impedimento vel errore. Nam, si sit racio impedita, nomen sciencie perditur et cogit hesitare legentem et dubium efficit auditorem. Et postquam Aristotiles scivit scientiam gramatice et poethice et rethorice, nisus est scire scienciam ethice et cadruvialem, naturalem et theologicam. Et statuens se discipulum Platonis audivit ab eo in quodam loco qui dicitur epidemia Atheniensium tempore quo pervenerat ad XVII annum. Et cum Plato secunda vice pervenit in Siciliam, dimisit Aristotilem in scolis, loco sui, in eadem villa epidemie in qua discebat scientiam viatorum, quia Platonis fuit opinio conferre corpori ambulationem moderatam ad delendas superfluitates ab eo et molestias, quemadmodum providetur anime cum sapiencie documento; et propter hoc, quia discipulis scienciam docebat ambulando se, ipsis ambulantibus, nominati sunt ipsi et subsequentes eos ambulatores. Postquam vero obiit Plato, Philippus rex misit pro eo, et accedens ad eum in[Page 490]

Macedoniam, moratus est ibi toto tempore Philippi, sapienciam demonstrando. Post obitum Philippi Alexander filius suus regnavit, et Alexandro recedente de Macedonia ad expugnandum illos de regione Asie, Aristotiles reversus est Athenas et remansit ibi docens decennio; tandem ob invidiam cuiusdam sacerdotis, idem sacerdos suasit civibus quod convenirent eum super hoc quod ydola adorare nolebat que alii tunc temporis adorabant. Quo scito Aristotiles ab Athenis recedens, ad suam terram Stagiram se reduxit, metu compulsus ne id sibi inferrent quod Socrati intulerunt quem perimerant veneno. Et postpositis tunc factis regiis, locum sibi invenit ad docendum. Et postmodum incepit exercitare se ad benefaciendum hominibus, et in helemosinis pauperibus largiendis, et in pupillis et orphanis maritandis, et in gubernandis eisdem et in concedendo aliquid studere volentibus, cuiuscumque ordinis essent et ad qualemcumque scienciam intenderent. Et renovavit Stagire fabricam et posuit eis leges. Quem reges plurimum honorabant, in sublimi statu tenentes eum. Obiit postmodum anno LXIII, cuius ossa accipientes iidem de Stagira incluserunt in archa quadam, quam situaverunt in locum ubi consiliari solebant pro magnis agendis, circaque ossa morari maxime delectabantur. Et cum molestabantur aliquo negotio gravi, cuius scienciam pertingere non valebant, recurrentes ad locum eundem morabantur ibidem disputando tamdiu donec perveniebant ad noticiam veritatis, sperantes quod propter moram in ibi ubi ossa Aristotelis erant reposita, sensum haberent veriolem et subtiliorem intellectum. Faciebant etiam hoc ut eum honorarent post mortem, et quantum dolerent de[Page 491]

amissione sui monstrarent. Et habuit idem Aristotiles multos discipulos, reges et regum filios, et composuit bene C libros et ex illis qui nunc inveniuntur sunt XVIII libri in logica, et octo in naturis, et liber ethicorum, et liber de regimine civitatum et liber methaphisice qui theologia nominatur et liber de ingeniis geometricis. Et reprehendit eum Plato super eo quod

ostenderat in scienciis componi debere libros. Cui respondit Aristotiles se taliter excusando: Scitum est et notum non debere agere aliquos ut scienciam diligentes perdant eam; bonum est igitur ut libros componamus, quorum beneficio adiscatur, et cum memoria labitur, recuperetur mediantibus ipsis libris; illi vero qui odiunt eam, non proficiunt in ea quamvis sit redacta in libris quia gravantur, visis eisdem, et recedunt ab eis, cum circumiverim ipsam, et fortibus muris taliter, ut vides, roboraverim, quod rudes et ignari, non valentes in ea proficere, de acquirenda ea se nullatenus intromittant; ordinavi etiam eam ordinationibus talibus quod sapientes eam intelligere potuerunt, abhorrentes vero ipsam nullum exinde potuerunt enucleare profectum. Et fuit Aristotiles albus, bone stature, magnorum ossium, parvorum oculorum, gracilium narium, parvi oris, ampli toracis; et cum solus incedebat, velociter incedebat, et quando cum sociis, incedebat lente; nunquam quiescebat libros respicere, libenter intendebat interrogantibus, respondens eis paucis verbis; et bene interdum aliquibus horis diei incedebat per campos et rivos, delectationem habens in bonis sonis audiendis et immorando cum disputatoribus nitens semper recto et vero, suum errorem cognoscens si eum continebat errare; moderatus erat in se[Page 491]

amissione sui monstrarent. Et habuit idem Aristotiles multos discipulos, reges et regum filios, et composuit bene C libros et ex illis qui nunc inveniuntur sunt XVIII libri in logica, et octo in naturis, et liber ethicorum, et liber de regimine civitatum et liber methaphisice qui theologia nominatur et liber de ingeniis geometricis. Et reprehendit eum Plato super eo quod ostenderat in scienciis componi debere libros. Cui respondit Aristotiles se taliter excusando: Scitum est et notum non debere agere aliquos ut scienciam diligentes perdant eam; bonum est igitur ut libros componamus, quorum beneficio adiscatur, et cum memoria labitur, recuperetur mediantibus ipsis libris; illi vero qui odiunt eam, non proficiunt in ea quamvis sit redacta in libris quia gravantur, visis eisdem, et recedunt ab eis, cum circumiverim ipsam, et fortibus muris taliter, ut vides, roboraverim, quod rudes et ignari, non valentes in ea proficere, de acquirenda ea se nullatenus intromittant; ordinavi etiam eam ordinationibus talibus quod sapientes eam intelligere potuerunt, abhorrentes vero ipsam nullum exinde potuerunt enucleare profectum. Et fuit Aristotiles albus, bone stature, magnorum ossium, parvorum oculorum, gracilium narium, parvi oris, ampli toracis; et cum solus incedebat, velociter incedebat, et quando cum sociis, incedebat lente; nunquam quiescebat libros respicere, libenter intendebat interrogantibus, respondens eis paucis verbis; et bene interdum aliquibus horis diei incedebat per campos et rivos, delectationem habens in bonis sonis audiendis et immorando cum disputatoribus nitens semper recto et vero, suum errorem cognoscens si eum continebat errare; moderatus erat in se[Page 492]

vestiendo, in comedendo, bibendo, et mulieribus adherendo; tenebat semper in manu sua instrumentum astrorum. Et dixit Aristotiles: In hoc mundo est melius bonam famam habere et Dei gratiam obtinere, per quam si deffendi confidas, tibi a malo cavebit si quod contra te alii machinantur. Et dixit: te non rectificante prius, tuum populum rectificare non potes, nec gubernare ipsum poteris, te errante; nam, qualiter poterit cecus alium ducere, pauper alium ditare, inhonoratus seu honore carens aliquem honorare? Et debilis, qualiter poterit suis viribus alios confortare? Certe nunquam poterit aliquis dirigere alium nisi qui sciat et dirigat principaliter se ipsum; igitur, si immondicias aliorum volueris abstergere, cor tuum primo illis abstergas, eo quod anima tua existens immunda non poterit alium expiare, nisi agere velis ut medicus qui a morbo quo premitur curare nititur alium et se ipsum curare non potest. Et dixit: quod magis dirigit negocia populorum est habere dominum directum et quod magis ea corrumpit est dominos corruptos habere, eo quod dominus populorum respectu sicut anima se habet respectu corporis que, absque eo, vitam participare non potest. Et dixit: a concupiscenciis caveas, quia si in his, huius mundi, cogitabis negociis, certe invenies quod non sit laudabile huius mundi velle honorem et alterius mundi dedecus subire, cum hic mundus fluctuationis sit causa et quo sumus trasferendi sit domus. Et dixit: si volueris esse dives,[Page 493]

quod habes paum tibi sufficiat quia ei cui quod habet non sufficit, ille dives esse non potest etiam satis habundet.

Et dixit: faciliter potest pravitas huius mundi sciri, in quo absque vituperatione alterius alter honorari non potest, nec sine depauperatione alterius alter dives fieri non valet.

Et dixit: si, te errante, quod velis habueris vel, te recte operante, quod possederis perdideris, ad tuum propterea non revertaris errorem nec ex hoc a recte operando desistas. Et dixit: quod optaveris nulli vetes, nec aliquod agas quod alios contra te nolueris egisse; tue voluntati repugna, concupiscencias vita, neminem odias, ab invidia animum tuum absterge; et si contra te aliqui erraverint, non indigneris propterea, cum nullus evadat errorem. Cave a concupiscenciis, que rationem impediunt et veritatem annullant, quia non alio modo quam precavendo fides subsistit et mundus. Et si tuam animam trahi contingat ad concupiscencias et ad deteriores statum qui possibilis sit

evenire te trahant, preliare cum eis et quantum possibilitas tua permittit tuearis ab eis; nec quantulumcumque erroris modicum usum reputes, quia usu modici usum plurimi attinges.

Et dixit: in re inutili tuam non exerceas vitam; et si aliquo delectabili abstinere non potes, cum sapientibus conferas et studeas in libris ipsorum; vita mendacia quia non menciuntur alia de causa mendaces nisi ex anime sue et rationis ignavia,[Page 494]

quia mendacia que inferant damna ignorant; unde minus damnum quod potest evenire mendaci est ut, cum acciderit eum vera proferre, non credatur eidem; et nichilominus ab hiis que voluerit elongatur, et in occidens venit qui in orientem pervenire sperabat. Et dixit: bonorum corda leviter concordant sicut aqua pluvialis marine leviter miscetur; corda vero malorum concordant difficile quamvis societatem discumbant, quemadmodum bestie que, licet se amplectentur ad invicem, amicitie sunt ignare. Et castigavit Alexandrum dicens: Sit primum quod egeritis quod statuatis sic credere homines ut nulli vestra beneficia consequantur, nisi qui astant vobis veritatem sequentes et imitantes eandem; sperent etiam fallaces damna aliis inferentes assequi rigidas penas; hiis enim vestra corroborabuntur regna et reputabimini sapientes. Et dixit: si in aliquo dubitaveritis, ad sapientes recurrite, quia a nullo rectificantur negocia dominorum magis quam a sapientia, quia sapiens insipientem excedit; et si, quia sapientem consulas, aliquis te despiciat, non turberis ipse propterea, sed scias neminem sine vicio esse posse; igitur ob aliquod viciū existens in aliquo, si ex alia parte virtutes affuerint, non omitas eius consilium implorare; scias enim quod damnum quod te propter impediētes contingere poterit, erit molestius quam beneficium a molestatoribus assequendum. Et dixit: iusticia est mensura quedam quam Deus statuit super terram, cuius suffragio debilis a forti, et verax eripitur a mendaci; et qui hanc mensuram delere voluerit fatue procedit et est in se ipso deceptus. Et dixit: cognoscit ignoranciam sapiens eo quod jam fuit ignorans; verum quia ignorans nunquam fuit sapiens sapienciam non cognoscit. Et dixit: ex fiducia consequendi finem non peto scienciam, sed ut sciam illud de quo dubito, quia propter ignoranciam magnus ascribitur viro defectus.[Page 495]

Et dixit Alexandro: scias quod quolibet res dupliciter se habet, quia aut est res modica quam non decet te agere, aut generalis quam non decet alteri committi; nam si pro modicis exercueris, prepedieris in magnis, et si grandia commiseris aliis, consumabuntur indebite et damnum maius proventurum censebitur in futurum quum profectus. Et dixit: liberalitas est concedere indigenti, et merenti iuxta possibilitatem donare; et qui ultra possibilitatem concedit, liberalis non est sed vere vastator, et qui non indigenti concedit non est acceptus sed est velut qui aquam spargit in mari; et qui non merenti exhibet est velut muniens inimicum qualiter veniat contra eum. Et dixit: sapientia est velut tutamen anime et speculum rationis; o quam felix est igitur qui nititur eam perquirere, cum ipsa sit laudabilium fundamentum et nobilium radix! Per ipsam enim bonus acquiritur finis et avertimur a tormentis. Et dixit: O Alexander, in utendo ut non debetur dominio invidia oritur, ab invidia mendacium provenit et a mendacio odium; ab odio iniusticia nascitur, ab iniusticia inimicitia erumpit, ab inimicitia bellum; bello lex perit et habita perduntur. In utendo vero dominio ut debetur, veritas procreatur, a veritate procedit iusticia, a iusticia

amor pullulat, ab amore dona prodeunt et tutela consurgit cum quibus lex manutenetur et mundus populis adaugetur. Et dixit: qui suum regnum statuit servum legis debet regnare, et qui legem subicit regno, regnum angustat. Et dixit: oportet regem esse magnanimum, multe cogitationis et rerum finium inspectorem, pium etiam et refrenatorem iracundie ubi decet et quando; et excandescere cum oportet, debet suarum concupiscenciarum[Page 496]

repressor esse; debet non perfidus esse, sed predecessorum suorum equioris semite gubernator, et ordinator singulorum in eo, quem meruerunt, statu et servator legis et fidei, et quod in bene faciendo nitatur, et quod fortis existat; fortitudo tamen eius duplex est: una est ut sit fortis animi, qui nulla occasione terreatur, alia est fortitudo corporis; que due si fuerint in rege, rex erit eximio complemento completus; et si forte, deficiente corporis fortitudine, alia supererit, sufficiet. Et dixit: rex qui suo se sensu gubernat non est laudibus extollendus, et rex qui alii quam suo vicedomino secretum exponit, est debilis rationis. Et dixit Alexandro: Si bonus esse gubernator volueris, ab infligendis penis boni assecurantur, et quod vindicentur de malefactis quique confidant. Et dixit: divicias pete non transitorias et incommutabilem vitam, et regnum quod non auferetur et durabilitatem perpetuam. Sis pius, non tamen ea pietate que convertatur in damnum, imo penam merentibus inferre non differas, et ad roborandam legem labora, quia in ea timor domini consistit. Cum videris inimici posse obtinere vindictam, non differas, eo quod variantur mundi condiciones et status. Et dixit: non odias veritati herentem nec contra fautorem fidei litiges; et fidem statue initium regni tui, quia qui contrariatur fidei tuus et regni tui inimicus existit; et per predecessores tuos melius est quod emenderis, quam per te subsequentes emendentur. Et dixit: bonos honora; ex hoc enim populi obtinebis amorem; non festines sequi mundum quia modicum perseverabis in eo. Et qui suos [animos] huic mundo stabiliunt, illos admiror, cum illum perpetuari ignorent. Honora[Page 497]

sapienciam et roborare nitaris eam magistris et discipulis stipendia exsolvendo, et etiam exilarando eosdem; et eos qui ad aliquem statum in ea perveniunt, cum tuis familiaribus pone, sciens quod honorabilior titulus est titulus sapiencie et delectabilior [remuneratio] est remuneratio per eandem, et in perquirendo eam major profectus existit et, nisi per eam, ullo alio majus commodum consequeris. Et dixit: ut ad alium dirigamini hunc querite mundum, nec propter ipsum queratis eundem, cum modicum sit morandum in eo; et vobis loquor quia modicum diligo mundum et Deum deprecor ut me cito eximat ab eodem. Et dixit: bone discrecionis est, fortis animi et laudabilis fidei qui tolerat adversitates cum venerint quia, qualiter sit homo, in prosperitatibus non probatur. Confortare igitur ex eo quod superest tibi et ex eo quod Deus te absolvit a pestibus, et que tibi contulit non abneges dona. Et debiliorem ex inimicis fortiolem te reputes; eo modo tuam requiras miliciam velut rex magnis causis emergentibus egens ad sui cautelam requirit eandem. Et dixit: mulceas populum tuum sicut cui scandalizatum est regnum, et multiplicati inimici requirunt. Observatores fidei sive legis promoveas et ex hoc reputaberis in hoc mundo compositus et in alio consequeris finem obtatum; malos refrenare et corrigere studeas quia cum hoc et legem diriges et tuum populum conservabis. Non es de tua anima securus, quousque homines assecurantur a tui illationibus pravis; et super eo quod te egisse male non reputes, alium non molestes. Et dixit: non potest dominus esse qui multum ad amici vicia[Page 498]

intendit; et eum qui multum apreciatur se ipsum, et qui omnes fere deprimere non omittit, homines deprimere moliuntur. Mori honoranter est melius quam in vita vituperose transire. Et dixit: dies suos morte prevenit qui regi repugnat; et rex qui vili opponitur suum perdit honorem. Et dixit: pauper moritur qui mundum diligit, et dives moritur qui non diligit eum. Sapiencia non generosi est honor. Concupiscencia ducit ad eam, que resumere non potest, iacturam. Avaricia honorem dirimit quem parentes antea construxerunt. Insipencia est socius pravus; et sic pendere ab alio, ut absque petitione subsistere non possit, mors prava censetur. Oportet rectorem seu gubernatorem suum populum non thesauri loco seu hereditatis tenere,

sed ut consanguineos et amicos, nec in hiis que ab eis excipit per violenciam delectetur, sed ex eo quod ab eis assequatur ex recto. Qui heret iusticie non habet unde aliquem vereatur, quare dixerunt aliqui quod iusti non habent ex quo Deum formident, ex quo, quod ipse Deus voluerit, imitantur, et obediunt suo mandato. Si rex est non justus, non est rex sed predo et spoliator violentus. Mali timore obediunt, beneficio vero boni; igitur, hos duos modos agnoscens, uni beneficias, reliquo penam infligas. Tua ira non sit nimis aspera neclevis plurimum, quia una mores luporum consequitur, alia puerorum. Et scripsit Alexandro in epistola sua: tribus de causis reges honorantur, ex legum institutione bonarum, ex regionibus conquirendis, et ex desertarum populatione terrarum. Et eciam scripsit ei: Opera manuum hominum non ad unguem discutias quia, cum homines[Page 499]

non possint erroribus omnino excludi, si multum examinentur distincte, confundetur discrecio tua; igitur ab aliquibus errorum avertendi sunt oculi, et indulgendum eisdem; hiis enim sistentibus penes te corda dirigentur ipsorum, et procedent ad melius facta tua. Et cum puniri contingerit aliquem, non te ultorem, vindictam sicientem, ostendas, sed velut rectificationem conantem; et in hoc medicos imitare qui, quamquam sciant infirmos plurimum ex morborum, quos pasciuntur, molestiis pati culpantibus ipsis, qui nec agenda agunt nec omittenda omittunt, nichilominus tamen curant eos non medicamentis asperis in penam eorum que commiserunt, sed eos leviter et blande mederi conantur. Et transiens per quendam manibus mutilatum dixit: quia alios non suo privavit, est suo privatus. Et dixit: qualiter amicus erit alterius insipiens qui non est suimet ipsius amicus? Et dixit Alexandro: Benefaciendo populo domineris, quia tuum dominium durabilius erit proinde, quam in agravando eosdem; nam, cum eorum dominares antea corporibus, deinceps dominaberis animis propter beneficia que concedes. Et scias quod populus, dicto presumptuosus, facile ad facta collabitur; igitur nitere ne labatur ad dicta, et sequetur quod non labetur ad facta. Et dixit: felix est qui alio castigatur. Et dixit discipulis suis: roborate animas vestras cedentes concupiscenciis que debiles surripiunt animas. Et dixit: nil est quod minus valere faciat hominem, sicut bona improperare que fecit. Et dixerunt ei: vos, sapientes, a quoquam discere, qualiter pro malo non geritis? Respondit: quia scire valde utile reputamus. Et dixit: qui benefaciendi posse non habet, saltem a male faciendo abstinere nitatur. Et dixit: et veritatem diligimus et Platonem, sed rectius est diligere veritatem. Et dixit discipulis suis: aures habetis quatuor, duabus audiatis quod proficit, et non proficientibus duas reliquas relinquantis. Et dixerunt ei: quid est ex rebus utilius? Respondit:[Page 500]

vestigio mors pravorum. Et dixit: in alicuius turbacionem aliquem experiri non convenit, nisi cum fuerit in suo dominio, vel aliquo potentatur. Et quadam die Platonem vidit iratum, cui dixit: magister, ad quid eo iratus? Respondit: ex verbo quodam quod de te quidam retulit, fide dignus. Cui Aristotiles: ex quo vere fide dignus est, non est malivolencie dignus. Et dixit: in rebus singulis multo est levius modicum, nisi in adeptione sciencie, que, quanto major fuerit, est levior ad portandum. Cui dixerunt: que sunt ad lucrandum oportuna discreto? Respondit: que, naufragante eodem in mari et nudus tandem evadens, nichil ex eis amittit. Et dixit: oportet ex scienciis eligere melius, sicut facit apis que eligit meliora ex flore. Et habens ipse quandam hereditatem nobilem, cuidam illam committebat gubernandam, ipse vero nunquam visitabat eandem. Cui dixerunt: quare tuam non requiris hereditatem? Respondit: quia non acquisivi ipsam ut eam sed ut me ipsum requirerem, et multas intendo acquirere hereditates hoc modo. Et dixit: insipientis lingua est sui clavis interitus Et dixit cuidam iuveni scienciam pigritanti perquirere: si pro inquirenda sciencia laborem non pertuleris, detrimentum sciencie pacieris. Et dixit cuidam ex discipulis: fili, nunquam te nisi cum noscente se ipsum associates, quia degere bene non potest in vita qui se associat ignoranti se ipsum. Et dixit: animus semper proclivus ad vicia, sciencie non recipit incrementum. Et dixit: ob concupiscencias suas corpus non increpa, cum hoc sua natura requirat, sed animam argue que quod decet et dedecet attendit et noscit, et corpori dominatur. Et dixit: fornicator laudari non potest; nec ylaris iracundus, nec liberalis invidus, nec cupidus esse dives. Et dixit: sicut aurum

igne, sic homo suis probatur operibus. Quidam ex discipulis male dixit de socio; cui dixit: contra eum nolo credere verbo tuo,[Page 501]

sicut contra te non consentio verbo suo. Et dixit ei quidam: dictum est michi quod malum contra me cogitasti. Respondit: te non tantum reputo quam ex tribus infrascriptis unum omittere, videlicet in aliquo scibili cogitare aut in aliqua cogitationum exhyllare animam, vel exercitari in aliquo opere bono. Et dicit: cum aliquis ad scienciam bonus discipulus est contentus, malus vero tum de ea diffidit. Et dixit: sicut pluvia facere pullulare non potest de lapide germen, sic ex multo insipiens studio assequi profectum non potest. Et dixit: lingua hominis sue discrecionis vel indiscrecionis est scribe quia, quicquam dicere voluerit, ipsa scribit. Et vidit quendam convalescentem qui superflue comedebat, et dixit ei: ex multitudine ciborum corpus subintransum vires non crescunt sed ex multitudine convenientis quod ex eis recipitur. Et dixit: experientie corripunt hominem et persuadent successiones dierum. Et dixit: sapientia exornat divitis divicias et pauperis paupertatem occultat. Cui dixit quidam: quid est bene loqui? Respondit: dicere modicum ratione completum et respondere laudabiliter et confestim. Et scripsit Alexandro: homines reputabunt fortitudine vestra se contentos, vestre magnificentia voluntatis, et propter vestram mansuetudinem vos amabunt; et si utrumque iunxeritis utrumque comprehendetis effectum. Significavit ei etiam: eratis quondam nobilis dominus, et adhuc ad nobilius vestrum procedet dominium, si vestrum rectificaveritis populum; tunc enim laudabilis populi eritis dominus, et non vituperati et pravi; nec vestrum sit predationis officium; homines enim cum predone domino non sunt liberi,[Page 502]

sed ut servi: et qui magis servorum quam liberorum vult esse dominus, assimilatur ei qui bestiarum esse pastor plus eligit quam virorum. Nec est apud regem minus decentius aliquid quam predari, cum regis intersit vice patris se gerere; rex enim Persarum a culmine sui dominiis satis depressus existit, ex quo cepit servos nominare subiectos. Et dixerunt ei: quid est quod dicere non convenit licet sit veritas? Respondit: laudare se ipsum. Et dixit: qui veritatis aliquid expresserunt, oportet grates habere, quia ex illo modico nos habilitamus ad multum. Et dixit: id animalia singula homo transcendit est ratio; si quis igitur ea non utatur efficitur bestialis. Et dixit: inter omnia quanto magis novum est aliquid, est melius, nisi amor, qui novo melior vetustus existit. Et dixit: bibere consueveram et sitis invalescebat sed, Deo cognito, non bibi et extincta est sitis. Et dixit ei Abraxis: domine scienciarum, quid est primum quod discere debet querens sapienciam? Respondit: quia anima est sciencie minera, eius sciencia primo querenda est. Et dixit: quid est anima? Respondit: anima est qua fundatur sapiencia et divinitas illustratur. Et dixit iterum: cum quibus investiganda est anima? Respondit: cum anima semetipsa. Et dixit: quomodo potest anima investigare seipsam et perquirere? Respondit: sicut querit infirmus a phisico pro egritudine sua, et sicut cecus querit a circumstantibus de colore suo. Et dixit: quomodo non intuetur anima seipsam, et est mater sapiencie? Respondit: cum anima sapiencia carebit, nec se nec alium valebit cognoscere, sicut visus nec se nec alium videre potest luce absente. Et dixit: omnia proprietates habent, et proprietas discrecionis est eligere bonum. Et dixit: non debet quis argui quia non respondit querenti quousque sciatur si bene quesitor quesierit[Page 503]

eo quod congrua questio responsionis congruentis est causa. Et dixit: qui, quod acquisierint dominiis, lucrati sunt cum studio et labore per varia pericula transeuntes, boni finis existunt; sed qui creverunt in gaudiis, numquam sencientes e contra, paciuntur e contra; et signum est in eo quod villas multo labore populari videmus, deliciis vero urbes depopulari et destrui; nam deliciis nec regna procedunt nec populi diriguntur. Et dixit: verborum acceleratio ilico facit errare. Et dixit: miror in eo in quo non sunt bona que de ipso feruntur et tamen ipse acceptat; et de eo de quo mala proferuntur que in eo non sunt, et inde turbatur. Et dixit: qui alicuius operis dulce gustat laborando, ad id habendum amarum tollerat, et qui alicuius utilitatis delectationem invenit, invalescere in eo conatur. Et dixit: non te geras vice cribelli qui, retento furfure, farinam emittit. Et dixit: a conchiliis marinis medullam, aurum a terra, et

sapienciam a quocumque excipe referente. Et dixit: gubernare populum non convenit puero nec ei qui est mundanorum negotiorum ignarus, nec suam imitanti concupiscenciam, nec ei qui sine deliberatione agenda presumit, nec ei qui plurimum vincere concupiscit. Et dixit: non est differentia inter puerum etate et puerum moribus, quia mores hominum non pendent ex tempore, sed ex eo quod in suis actibus semper concupiscencias imitantur. Et dixit: qui concupiscencias nisi quando, quantum et ut convenit imitatur, bonus ad gubernandum existit. Et dixit: necesse est quemquam, ad hoc ut sit bonus vel quod sit per se habilis ad veritatem sciendam et actu operandum per[Page 504]

eam, vel quod ab alio discat, quia qui per se intelligere non potest nec per alium apprehendere, bonus non potest esse. Et dixit: bonum dicitur dupliciter: unum appetitur propter se, aliud propter aliquid aliud; illud quod propter se appetitur, eo quod propter aliud appetitur melius est. Et dixit: bonum dividitur tripliciter: unum consistit in corpore, secundum in anima, tertium extra corpus; nobilius tamen inter omnia est anime bonum, cuius boni forma in bonis apparet operibus; et in acquirendo huiusmodi bono et usu ipsius, felicitas bona consistit. Et dixit: necesse habet anime felicitas bonis existentibus extra corpus, quia difficile est homini pulcra opera agere et que sunt materialia negligere, sicut divitem esse et parentatum; et propterea sapientia indiguit gubernantium auxilio, ut suam nobilitatem ostenderet et etiam veritatem. Et dixit: procreatur in homine sapientia longo tempore adiscendo, et boni mores ex bonis consuetudinibus. Et dixit: superhabundancia et defectu opera corrumpuntur, quia, sicut paucitas et multitudo ciborum formam sanitatis corrumpunt et ipsorum temperancia sanitatem efficit, auget, et conservat, similiter mores corrumpuntur superhabundancia et defectu, sicut timore et audacia; nam aliquis ad omnia timidus est, et alter intrepidus et audax ad omnia: et temperancior est qui ad nullum extremorum accedit. Et dixit: oportet vos agnoscere signa que mores hominum ostendunt ex delectationibus et tristitiis que suis recipiunt operibus; nam qui delectationibus corporalibus abstinet sibi ex hoc placendo, hic dicitur temperatus; et qui illis abstinet dolendo est ambitiosus, et alii mores omnes eodem modo se habent. Et dixit: quam plures bona cognoscentes opera et non operantes, bonos se existimant! Sed tales velut infirmi qui, attendentes ad consilia medicorum nihil operantur ex eis; et propterea, sicut eorum[Page 505]

corpora sunt a sanitate remota, ita anime predictorum sunt a felicitate longinque. Et dixit: bene agere est res terminata, tamen est grave pervenire ad eam; et ad male agere facile pervenitur, quia recedere a signo est facile, et difficile pervenire ad ipsum: pluribus enim modis esse possumus mali, boni vero non nisi uno modo. Et dixit: mors est acceptabilior quam turpibus operibus uti. Et dixit: defectus sciencie maliciarum est causa eo quod, per ignoranciam eorum que agere convenit et que fugere, plures errant illicitis operibus abutentes. Et dixit: senes constanter se invicem diligunt, quia mutuis amoribus proficiunt sibi; pueri vero, ex oblectamentis pluribus amantes se invicem, cito se diligunt et cito abhorrent, nam delectabilium [ipsorum amor] mutatur, eum delectationes sint in eis mutabilitatis festive. Et eodem modo bonorum amor stabilis est et firmus, quia sibi invicem assimilari nituntur in bonis, abstinentes malis; pravorum vero amor, deficiente delectatione carnali, deficit. Et dixit: felicitatis homini complementum est amicos acquirere, quis enim solus poterit esse felix, cum felices perfectio sit benefacere aliis, quemadmodum infelicis est indigere beneficiis aliorum? Et dixit: cui male succedit aut bene, huic etiam amici est opus; quia cum male successerit, amicorum eget auxilio, cui vero bene, indiget solacio eorundem. Et dixit: non delectatur in iusticia nisi iustus, et in sapientia nisi sapiens; in amicitia non nisi amicus exultat. Et qui bene agendo adipiscitur amicitias, est boni successus, et qui hoc acquirit ob corporales delectationes, decipitur, quia corporalium delectationum cupiscencia censetur ex moribus puerorum. Et dixit: Deum recto amore diligens et amans sapientiam ipsius et opera bona, Deus honorat eum et, curiosus eius, benefacit eidem. Et dixit: mali, fortitudine corporis, pericula sustinent; boni vero, fortitudine animi,[Page 506]

ea patiuntur; bona enim paciencia in manuum vel aliorum

membrorum fortitudine non consistit: hace enim paciencia bruta participant. Sed anime paciencia bona est gravia cupiditatum et voluntatum sustinere pericula propter boni finis fiduciam, quam intendit. Et scripsit Alexandro dicens: ex quo Deus quod optasti et quantum voluisti obtinere concessit, suis in parciendo acquiesce mandatis. Et dixit: scire est vivere, et ignorancia mori; et ideo sciens vivificat, quia opera que agit intelligit, et insciens, quia non intelligit que agit, opera mortificat et annullat. Et dixit: homines absque discipline informatione intelligere non possunt, sicut eorum visus formas visibilium absque luce videre non possunt. Et dixit: antiquitas temporis opera facit senescere, linit vestigia, famam delet, nec remanet nisi amor qui ex bonis gestis prevaluit hominum cordibus et quem filii a patribus suis hereditant: nitere igitur ad bonam famam que nunquam deficit nec abest a cordibus hominum; cum hac enim bona fama, et nobilitas perdurabit. Et dixit: insipiens est similis cadenti in aqua; igitur a longe munias eum, ei non approximans quia, si evadet, lucraberis, et si moriatur nil perdes quia, a te remotus, ad moriendum eum eo te trahere non potest. Et dixit: mendacium est anime infirmitas que ratione mediante curatur, quia nunquam mentitur ratio. Et quodam introeunte ad eum, vidit coram eo sportam cum passulis, et interrogavit eum: quo modo emisti? At ille mensuram sibi dari precepit dicens: Hac mensura metiti sunt eas et posuerunt in sporta. Cui dixit ille: non de esse quero, sed pro quanto emisti. Et tunc respondit Aristotiles: pro tanto; sed scias qualitatem aliud quam quantitatem esse, et quodlibet eorum proprio responso egere. Et dixit: firmior sapiens est qui scibilia non acceptat priusquam intellegat, et allegator melior est qui non refert referenda donec[Page 507]

verbum prevideat, et melior artifex est qui ad opus non accelerat priusquam ipsum bene discutiatur; nec est aliquis qui in cogitando tantum rancoris habere debeat, sicut sapiens in sapiencia quam intendit. Nam necesse habet providere bene in illa priusquam sapiens teneatur, et conetur agonizare in ea donec fructum volitum consequatur; et cum collectionis fructus tempus advenerit, eum dolere non convenit eo quod qui labores mundi, quos fecit pro semetipso, perdi permittit, et acquirende sciencie sustinet detrimenta, ut post mortem retributionem accipiat, et deinde, cum morti approximat, doles in ea, quod de eo rideatur et vituperent eum; mereri autem ex bonis operibus censetur, velut qui arbores plantat et hedificat aliquam domum et tristis et dolorosus efficitur de labore sue, dum perficitur quod anxius expectabat. Et miror illius qui de morte tristatur; scito certe per eum, quod suis operibus retributio fieri sperabat. Et dixit discipulis: maius quod possunt attingere, suis inquisitionibus, querentes scienciam, est quod docentes eos conentur vera proferre et audientes eos non nisi in recipiendam veritatem nitantur; moliar igitur in veritate dicenda, et vos ad eam apprehendendam moliamini toto posse. Et dixit: in pluribus hominum vincunt concupiscencie rationem, quia cupiditates ab infantia concomitantur eisdem, rationem vero non assecuntur nisi etate perfecta, propter quod ad cupiditates potius se convertunt. Et dixit: populi reges sicut pueri magistros abhorrent quia, hora qua disciplinantur, bona exinde ventura non attendunt,[Page 508]

sed sentiunt discendi labores. Et vocavit Alexandrum ex quo destitit a docendo eundem, faciens ei questiones super regimine magnatum et populi; qui Alexander bene respondit. Tamen Aristotiles verberavit eum verberibus magnis; quare interrogavit eum quidam quare hoc fecit. Respondit: puer iste habilitatus est ad regnandum, et ideo eum volui horrendum gustare saporem ut ab iniusti se fruitione refrenet. Et dixit: alium rectificare, si poteris, cupias sicut cupis te ipsum, quia honor est et nobilitas anime tue. Et dixit ei quidam juvenis: quare es pauper? Respondit: me non offendit mea paupertas, nec aliquid protulit mali, et tibi mala plurima pertulerunt tue divicie. Et dixit in libro celi et mundi: convenit ratione iudicare volenti, non odire sibi contradicentem; immo sit sicut cognitor veritatis, et sic pro alio iusticiam eligat veluti pro se ipso. Et dixit: mundus est quidam hortus, et fossata eius sunt regna; regna vero manuteneantur per leges; leges rex statuit; rex vero per miliciam manuteneatur; milicia vero pecunia gubernatur; pecunia autem a populo colligitur; populus vero est iusticie servus; iusticia vero regitur mundus.

ALEXANDER fuit regis Philippi filius, scilicet filii Epichi; qui Philippus VII annis regnavit. Causa vero mortis sue fuit unus ex magnatibus terre sue, Chaus nomine, captus amore matris Alexandri. Ideo nisus est ad eam habendam quantum potuit, set illa non ei consensit. Ipse vero conatus est occidere Philippum, eius maritum, ut, loco sui regnans, eam reciperet in uxorem. Et accidit, Pilato rege mortuo, regem Philippum mittere exercitum cum quodam de vassallis suis ut impugnaret Pilati filium qui inobediens erat; et alium exercitum eum Alexandro filio suo[Page 509]

transmisit ad quandam villam que Sarapia nominatur, ut illam impugnaret, que similiter inobediens facta fuerat. Videns vero Chaus quod regis Philippi milicia distributa erat per partes diversas, reputavit aptum esse interficere eum. Et adiunctis sibi hominibus quoscumque habere potuit, Philippum insiliit, percuciens eum percussionibus multis; et, interponentibus se hominibus, Philippus graviter percussus cecidit, et villa valde commota est; et in hoc intervenit Alexander, inveniens patrem quasi mortuum et matrem Chaus manibus captivatam et, evaginato ense, ut eum occideret, et ut matrem non percuteret suis comprehensam manibus, a percutiendo abstinuit. Et tunc dixit ei mater: fili, occide eum, propter me nullo modo dimittas. Et percussit eum Alexander ense proprio, et Chaus in terra cecidit quasi mortuus; et accipiens eum Alexander detulit eum coram patre adhuc vivente. Cui dixit Alexander: rex, surge et, capto ense, tuum inimicum occide, manu propria te ulciscens. Et surgens Philippus Chaus interfecit; et statim mortuus est Philippus, et subhumavit eum Alexander, et regnavit post eum. Philippus consueverat dare tributum Dario, filio Darii, regis Persarum, quandam quantitatem notam, quolibet anno, de ovis aureis ut non impugnaretur ab eo. Et dederat filium suum Alexandrum Aristotili pro discipulo, quem multum bene docuit, et factus est magni et boni intellectus. Et cum Philuppus fuit morti propinquus, vocans filium suum Alexandrum fecit eum regem et suo capiti coronam imponens, statuit eum sedere in solio regio: et introeuntes principes in dominum receperunt eundem. Deinde vocavit Aristotilem mandans ei ut exhortaretur filium suum coram se exhortacionibus bonis que, postquam mundum relinqueret, possent prodesse eidem; et Aristotiles complevit edictum. Et statim, obeunte Philippo, surrexit Alexander et persuadens hominibus[Page 510]

dixit: scitote omnes regem vestrum fore mortuum. Et ego in vobis nullum gero dominium, sed sum sicut unus ex vobis, appeto quod vos appetitis, et occurrere volo quibus occurrentis, nec contraire in aliquo facti vestris. Audiatis igitur dicta et consilia mea, quia sum fraudum abominator et amator vester, et talem me reputastis, patre vivente. Mando itaque vobis quod, Deum timentes, ei obediat et assumatis illum in regem qui magis obedit Deo, et qui melius pro populo cogitat, et qui magis pius sit vestris pauperibus, et melius inter vos dividat acquisita, et qui pro vobis corpus suum exponat et qui pro nulla delectatione vel deliciis quibus sit perplexus, vos negligat deffensare, et ei cuius opera a malis exclusi eritis, et in bonis sperantes; et qui se pro vobis ad occidendum vestris inimicis audebit se obicere. Et illis audientibus rationes istas, sue magne discrecionis et subtilitatis intellectus mirati sunt multum, ex eo etiam quod cogitavit in eo quod sui predecessores non cogitaverant. Quare dixerunt ei: tuas rationes audivimus et tuum recepimus consilium, et absolutionem fallacie populi nostri: propter quod facta nostra pro nobis exponimus, et cupimus vos regnare super nos semper; nos enim non tenemus quod alius mereatur esse rex noster. Et elegerunt, et sumpserunt eum in regem et dominum, et coronantes eum benedixerunt ei. Quibus dixit: audiui orationem vestram quam propter me fecistis, et vestram alacritatem in efficiendum me regem vestrum. Et ego repeto[Page 511]

misericordiam illius, qui concessit mihi amorem firmandum in cordibus vestris obedire mihi quod compleat mihi ut obediam ei, et quod cum aliquibus mundi delectationibus me non implicet propter quas pro bonis vestris non me intromittam. Deinde misit dicendo per suas litteras magistratibus locorum omnium regni sui: Alexander Macedo, tali et tali. Deus est dominus meus et vester, creator meus et vester, creator celi et terre, astrorum, montium et maris, qui posuit in animo meo sui notitiam et timorem, et stabilivit me ad sua servicia, obligans me quia me

creavit et statuit me unum ex illis quibus boni et electi procedunt. Igitur refero gratias ei propter bona que conferre cepit et supplico incepta compleri. Scitis enim quod patres nostri et vestri omnes ydola adoraverunt nec nocentia nec iuvancia, nec videncia nec audientia; et qui rationem habent intellectus, necessario verecundiam habent de se ipsis si adoraverint ymmagines manu factas; unde ad cognoscendum Deum redeatis et ad serviendum ei, et unitati credite que magis meruit lapide isto. Et transmisit etiam litteras significando sue milicie vitam suam et voluntatem suam, mandans quod se necessariis communirent ad inimicos eorum et suos impugnandum, et quod ipso inducerent et invitarent eos ad unitatem credendam, impugnantes illos qui credere denegarent. Receptis vero suis litteris et lectis, moventes se devenerunt ad eum bene muniti; et ordinans eos, iussit eis dare stipendia. Milites vero ipsi invenerunt eum ita robustum, sic magnanimum et sic liberalem, quod nunquam visus fuit rex similis ei; et post, cum mansuetudine magna et cum laudabilibus moribus rectum satis et pium pauperibus et debilibus se exhibuit, fortem vero valde ad Dei servicia et Deum timentem, et ex hoc cogitaverunt homines quod deberet esse magnificus. Eodem vero regnante et proficiente, dirigentibus se suis negociis,[Page 512]

rex Darius pro solito tributo trasmisit. Cui Alexander respondit; mortua est gallina que talia ova ponebat. Cum Alexander regnavit, greci erant divisi multipliciter: non enim regebantur unico rege. Unde, eodem Alexandro eos impugnante, coegit eos taliter quod dominatus est cunctis; ipse namque primus extitit qui ad unius regis dominium ipsos reduxit. Et ex tunc motus est animus suus ad impugnandum reges omnes occidentis, et impugnavit eos et vicit, regnans super occidentalibus omnibus. Consequenter ivit in Egiptum edificans Alexandriam iuxta mare viride domini anno VII. Post ivit in terram Soepti, deinde processit in Armeniam. Tunc, Dario sciente processum suum, illis de Tyro litteras suas transmisit in hunc modum: Darius, rex regum, Tyri populo. Notificatum est mihi qualiter contumax latro iste, cum latronibus omnibus quos potuit aggregare, ad partes vestras pervenit. Quare precipio vobis quatenus, capta omni societate ipsius cum armis suis et bestiis, submergatis in mari; latronem vero dominum ipsorum ad me mittere non tardetis, quia firmiter scio quod vestra potencia et sapientia hoc complere potestis, cum grecus sit nullius precii et valoris; nullam antem excusationem pretendere poteritis nisi opere compleatis. Post hoc transivit Alexander et castra metatus est super fluvio qui dicebatur Esthachus. Quo scito, Darius significavit sibi litteris suis hoc modo: Darius, totius mundi rex, lucens ut sol, Alexandro latroni. Bene scire potes quod rex celi me regem terre constituit, sublimitatem, honorem, divicias, nobilitatem et fortitudinem mihi concedens. Nunc vero significatum est mihi quod, adiunctis tecum quibusdam latronibus, cum eis obtinuisti flumen Estochium ut damna inferas terre nostre; et alligans tibi coronam,[Page 513]

fecisti te regem. Et hoc scitum est et actum fatuitate grecorum. Quare, visis litteris istis, incontinenti ab hac fatuitate desistas quia puer es, nullius precii, nec sum coequalis tibi; quare vereri potes de te et terra tua, alioquin mala hora vidisti terram tuam. Et ecce mitto tibi archam unam auro plenam ut scias me multum auri habere quo, quidquid intendimus, facere possumus, et speram unam ut certifies totum mundum nos manutenere, et sacum unum de semine zizanii ut scias nos habere magnam miliciam, et fustigatorium unum ad corripiendum te velut puerum. Et misit ei cum hiis per suos legatos litteras suas, quibus lectis, Alexander mandavit eos exui, manibus post terga ligatis. Et mandavit ense evaginari quasi eos decapitari vellet. Cui dixerunt legati: Domine, talem regem nunquam audivimus suos velle mactare legatos. Ad quod Alexander: Vester dominus me latronem reputat et non regem, propterea vobis inferre volo, more latronis, offensas, de quo me non voccetis culpabilem, sed dominum vestrum mittentem vos ad me latronem existentem. Cui dixerunt: noster dominus tui non habet noticiam, tamen nos te cognoscimus, tuam percipientes bonitatem et decus; ergo indulgeas corporibus nostris quia nos dicemus domino nostro Dario que de te vidimus, et erimus tui testes. Ad quos respondit: ex quo humiliamini, vestris precibus annuo ut mei misericordiam cognoscatis: quia proximus humili et elongatus a superbo existo. Et mandans eos absolvi, comestionem eis dare precepit. Et post

hec composuit litteras istas: Alexander filius Philippi regis, Dario qui regem regum se putat, et quem timent astra celi et qui[Page 514]

deum et lucernam mundi se dicit. Quomodo est possibile quod qui totum mundum illuminat sicut sol, despectum hominem timeat et debilem veluti Alexandrum? Non igitur te deum reputes, set hominem arrogantem; nam mortalis homo qualiter poterit esse deus, qui in eo est ut suum perdat dominium et suum alii mundum relinquat? Certe rectum est apud Deum ut indignetur contra illum qui se suo nomine nominare presumpsit. Unde scias me contra te ad pugnam iniendam accedere, confidens in illo qui me creavit, ut me tueatur: eidem enim me commendo. Notificasti mihi per litteras tuas de multo auro quod habes: scias quod auro ipso abstinere possum; misisti etiam michi speram unam et fustigatorium unum, et archam auro plenam. Scias fustigatorium esse me ipsum quem contra te Deus transmisit ut te gustare faceret amaritudinem ipsius, ut sim rex tuus et correctio tua. Etiam bene egisti in spera mittenda; confido enim in Deo quod tota terra tua convertetur ad manus meas, continens eam sicut teneo manu speram. Archa fuit mirandum augurium, ostendens quod Deus contra te erit in auxilium mihi, et signum est ad hoc quod ad me convertentur omnes thesauri tui. Et zizanium quod misisti leve est et ad comedendum conveniens, carens omni malo sapore; loco cuius sinapis grandem tibi mensuram transmitto, violenti saporis. Insuper me terrere cogitasti in relatis potenciis tuis. Gero de Deo fiduciam quod ipse debilitet te et deprimat, sicut te tuis litteris extulisti, quousque in terra sub proverbio relinquare. Et, sigillatis litteris, resignavit eas legatis mandans eis restitui aurum quod sibi mandaverat Darius. Et supervenientibus legatis ipsis ad Darium, invenerunt Alexandrum vicisse vicarium Darii, qui reversus est ad Darium victus. Post hoc processit Alexander et lucratus est villas multas; et perveniens ad villam que dicitur Quila, homines[Page 515]

Quile clausurunt portas. Quare mandavit Alexander ignem immitti; cui dixerunt: O Alexander, scias quod portas non clausimus ad repugnandum tibi, set quia veremur Darium cogitare quod tibi aperiemus easdem, et propterea ipse nos occideret. Quibus respondit Alexander dicens: aperite mihi illas, quia villam non intrabo quousque Darium vincam; et meam sciatis legalitatem quam omnibus obedientibus mihi servo. Et tunc, apertis ei portis, duxerunt ei victum, annonam et alia, vendentes ei. Hoc facto secesserunt de villa, et tantum processit Alexander quod occurrit Dario, cum quo magnum conflictum commisit durantem a mane usque ad meridiem, et tantus effusus sanguis est, quod sicut fluvius currere videbatur. Demum gentes Darii dederunt se fuge et macedones firmi morati sunt. Et videns Darius quod capitanei sui exercitus perditum erant, et qui remanserant pro maiori parte vulnerati erant, cepit fugere. Et superans Alexander tunc illos qui firmi extiterant captivavit, inter quos fuerunt filius, filia, et uxor Darii. Et fuit fugatus Darius usque ad quendam magnum fluvium pervenit, et transivit eundem quia coagulatus erat; et cum familia eum sequeretur, transitu fracta est glacies et submersi sunt plures ex eis. Et divertens solus Darius ad quandam domum ydoli sui pervenit, sperans per illud ab Alexandro tueri. Deinde deliberavit, et consulens inter se ipsum dixit: nullam scio causam qua magis assecurari possem, quam me Alexandri equitati summittere, qui nobilis est et fidelis. Quare suas litteras ei misit quibus rogavit eum ut miseretur ipsius, filium, filiam et uxorem mittendo, promittens ei Persarum se sibi daturum thesaurum, et etiam patris sui. Alexander, lectis litteris suis, nichilominus cepit eum persequi; Darius vero fugiens ad Indie regem se transtulit. Et attingens eum Alexander, cum iam alter alterum videre poterat, duo ex magnatibus Darii irruerunt in eum ut occiderent ipsum, gratiam Alexandri propterea impetrare sperantes. Quibus Darius dixit:[Page 516]

non faciatis, recordantes beneficii et gratie que vobis contuli; nam et Alexander rex est, unde, si velitis vel credatis ex hoc fieri grati sibi, erratis, quia vos interim propter necem mei faciet, eo quod reges aliorum regum querunt vindictam. Ipsi autem nichilominus percusserunt eum, donec de equo cecidit; et priusquam moreretur; ad eum aplicuit Alexander qui, iactans se super eum, tersit pulverem ex facie sua, et positus super pectus manibus, lacrimando dixit: Dari, surge, et sis rex provincie

tue; iuro enim in Deum quod potenciam regiam tibi dabo et faciam te regnare, restituens tibi omnia ablata et iuvans te contra inimicos tuos. Ego enim me tuum reputo debitorem ex quo cibaria tua comedi cum, occasione legacionis, ad presenciam tuam perveni. Surge igitur, ne desperes, quia reges oppressiones et gravamina sustinere plus aliis hominibus debent; et significes mihi qui te taliter oppresserunt, ut de eis ulciscar. Cui Darius, eius manus osculando: o Alexander, non exaltes te ultra competenciam tui status, nec in mundo isto confidas; sufficiat tibi, ad tuam correctionem, quod mihi accidisse perpendis. Supplico quod matrem meam honoranter retineas et loco matris tue statuas ipsam, uxorem vero loco germane, et filiam tibi trado in coniugem. Et hiis dictis tacuit, et postmodum decessit. Quem Alexander musco et ambra lavari mandavit, et sepeliri pannis auro contextis. Et post hec grecos et persanos armatos in acies congregari precepit, ordinans decem milia ex eis precedere feretrum cum ensibus evaginatiis, et alia decem milia subsequi, et X milia a dextris et totidem a sinistris; et Alexander precessit cum Persarum magnatibus et Grecorum; ordinati taliter inceserunt usquequo attingerunt sepulcrum, sepelientes eundem. Et[Page 517]

tunc Alexander illos duos qui occiderant Darium supra sepulcrum ipsius suspendi precipit; quod Persani videntes, invaluerunt satis in amore ipsius. Deinde significavit [filie] que pater ordinaverat in testamento suo et specialiter ut cum eo nuberet. Quod annuit puella; et missis ab eo que expediebant sponse, ipsam conduxerunt ad presenciam Alexandri. Hoc acto ordinavit fratrem Darii loco sui in regnis, et libros omnes gentilium cremari fecit, et libros astronomie, phisice et philosophie transferri fecit in grecum et, translationibus missis in Greciam, exemplaria cremari mandavit; et domos similiter holocaustorum, et omnes sacerdotes et prepositos legis fecit occidi. Et in oriente diversas villas construens, eas aliis populari mandavit. Et dum Alexander accederet ad expugnationes regum gentilium, pervenit ad eum quedam epistola matris sue, continencie talis: Roquia, mater Alexandri, filio suo Alexandro, quondam debili, Dei potencia nunc robusto, exaltato: fili, non exalteris, [ne] humiliet is propterea, sciens quod a statu in quo es perverteris modico; fili, avariciam vita, que res est nocibilis; fili, thesauros et addunatam peccuniam quam congregasti huc usque aspice, et per equitem unum bonum ad me velociter mittas. Alexander vero, lectis litteris, peciit a sapientibus exponere a matre transmissa: qui exponere nesciebant. Et tunc, vocatis scribis alia, precepit eis: certificemini de thesauri nostri numero et quantitate, quam in littera una scribatis distincte, et loca ubi deposita sunt, et cartam ipsam sic scriptam matri transmittatis, quia ipsa thesauri quantitatem et loca quibus deposita sunt et non aliud scire[Page 518]

cupit. Post hec accessit contra regem Indie et oportuit eum ire per terram desertam. Scripsit autem ipsi regi hoc modo: Alexander, rex regum mundi, domino Indie. Deus meus tuitus est me et iuvit ad terras conquiendas, ita quod superavi inimicos meos; et posuit me in possessione villarum, mittens me in ultorem non credencium et negancium eum; propter quod ad creatorem et Deum tuum et meum te invito, qui est creator et dominus omnium, ut ipsum et non alium adores, quia bene meretur propter beneficia que contulit tibi, statuens te super cunctis regibus terre maioribus et similibus tibi. Credas itaque consilio meo et idola que habes transmittas, solvens mihi tributum, et sic de me manebis securus; alioquin iuro in Deo meo quod totam equitabo terram tuam et confringens eam desertam efficiam; et sic agam etiam contra te, quod de te habeant homines quid loquantur. Iam nosti quid fecerit Dario Deus meus, et quare contra ipsum auxiliatus est mihi; unde non debes apreciari aliquid amplius pace. Rex vero Indie quadam responsione eidem aspera et prava respondit. Et tunc Alexander procedens pervenit ad eum qui iam ad pugnandum paraverat elephantibus et lupos multos, doctos ad pugnam. Quo scito et viso, Alexander territus est quodam modo, nesciens modum quo posset contra eos pugnare; super quo consultavit socios suos, nec sciverunt consilia sibi dare. Et tunc convocavit omnes suos artifices, quibus precepit ut facerent viginti quatuor milia ymaginum concavarum de ere, et positas super currus ferreos, lignis repleri fecit. Quibus in acies ordinatis et, ut decebat, armatis, ignem intra eos accendere fecit. Et rege Indie veniente cum elephantibus et

lupis predictis, ut in hostes irruerent, helephantes, dum in illas ymagines quasi in homines proboscides suas extenderent sicut facere solebant in hostes, comburebantur; et lupi similiter, et taliter fugiebant ab igne. Viso vero Alexandro quod bestie sic fugiendo recederent, consequenter processit ad bellum. Que pugna XX diebus duravit, ita quod ex utraque parte plures perditii fuerunt. Et tunc contra Porum clamavit Alexander: non est honor regius suam miliciam morti exponere que vitari potest; vides, jam quasi nostre societates perduntur: ad quid hoc permittimus? Pugnemus nos duo ad invicem, et quicumque nostrum alterum occiderit, regnum victi obtineat. Quod multum placuit Poro, pro eo quod ipse erat magni corporis et Alexander parvi. Cum ergo insimul ambo pariter diu et acerrime dimicassent, audivit Porus in exercitu suo vocem magnam, quam stupens, vultum illo vertit ut videret quid esset; et tunc inter ambas spatulas percussit eum Alexander, mortuumque prostravit in terram. Et cum ipsius milicia certificaretur de obitu domini sui, conati sunt nichilominus ad expugnandum Alexandrum et suos. Quibus dixit Alexander: qualiter expugnatis nos taliter, ex quo dominus vester mortuus est? At illi dixerunt: quia volumus honorifice mori. Et dixit Alexander: qui sua arma exuerit et in terram proiecerit, sit ab omni malo securus. Et quilibet illorum, hoc intellecto, arma deposuit et sic pugna cessavit; et benefecit postmodum eis. Deinde precepit Porum honorice tumulari, sicut reges decebat, et capi fecit postmodum totum thesaurum suum et arma sua. Et exinde pervenit Alexander ad Brathenios, ad quos priusquam aplicaret, ipsi quandam comitivam sapientum miserunt ad Alexandrum; qui dixerunt[Page 520]

ei: domine, non habes materiam pugnandi nobiscum quia pauperes sumus, nec habemus nisi sapienciam; et si sapienciam queris, Deum roga quod tibi indulgeat: non enim pugna acquiritur. Hoc audito Alexandro, precepit suam miliciam expectare, et ipse divertit cum eis, cum militum modica societate, inveniens eos non vestitos set pauperes, filios autem et feminas herbas colligentes per campos. Et commoratus est aliquantulum cum eis, de multis sapiencie questionibus conferendo. Tandem dixit: queratis aliquod donum a me, quod populo vestro donabo. Et illi respondentes dixerunt: a te non querimus aliud, nisi quod nos perpetuo vivere facias. Et dixit eis: quomodo potest quis perpetuare vitam alterius, cum horam unam non possit addere vite sue? Hoc non est in posse viventis! Cui obiecerunt: ex quo scis hoc, ad quid tantam gentem delere conaris, et aggregare terre thesauros sciens te omnia relicturum? Et respondit: ex me ista non ago, sed misit me Deus meus ut patefaciam legem suam et ut incredulos deleam; an ignoratis maris undas, nisi ventus excitet, non moveri? Similiter ego, nisi preciperetur, a loco proprio non moverer. Ego enim, quousque superveniat mors, obediam Dei mandatis, et exibo a mundo nudus sicut nudus intravi. Et misit deinde litteras Aristoteli de mirabilibus que in terra Indie viderat; in quibus etiam petiit consilium qualiter acquisitas regiones servaret. Et interea transiit versus terram Cijm, et cum circa terminos pervenisset, inter utrosque reges multe intervenerunt legaciones. Et finaliter rex Chijn, obedire se offerens, coronam regni sui sibi transmisit dicens: hanc coronam magis tibi quam mihi congruam esse cognosco. Cui presentavit centum milia librarum argenti, et mille et quingentas libras in aureis vasibus et ducentas in lapidibus preciosis,[Page 521]

et centum enses pernis contextas, centum equos, duo milia pelliciarum, et centum cellas, centum poma ambre et pondus duorum milium dragmarum musci; ducentas libras ligni aloes, mille loricas, cum galeis alia. Applicantibus vero legatis suis ad Alexandrum, exhortatus est eos, precipiens et persuadens imitari rectam legem. Quos etiam scribere voluit leges statutas quibus se regerent et gubernarent. Et expeditus ab eis per terras orientales et Turcorum perrexit ubi villas construxit et loca diversa, et reges creavit precipiens eis ut singulis annis certa tributa transmitterent, unusquisque secundum conditionem et exigenciam terre sue. Deinde in occidentem reversus est. Et dicitur quod ipsemet Alexander assuescebat perquirere regna sua, quia referentibus aliqua credere nolebat, donec oculata fide videret. Et quodam die, dum ignotus quadam villa transiret, occurrit cuidam

ex iudicibus alia. Et vidit duos contententes ad invicem coram eo: quorum unus conquestus est dicens: ego emi ab isto quandam domum et habitans eam inveni thesaurum quendam subhumatum in ea, et invitavi eum ut sumeret et sumere noluit.

At iudex petens ab alio dixit: quid respondes tu? Respondit: nullum thesaurum ego subhumavi, nec meus est thesaurus, nec auferam eum. Et ambo dixerunt iudici: mandes eum recipi et ubi volueris repone. Quibus iudex: Vos a culpa seceditis, me immiscere credentes; sed si iustum et rectum appetitis, quod dixerō faciatis. Et tunc actori dixit: habes filium? Respondit: habeo; et dixit reo: habes filiam? Respondit: habeo. Et dixit: recedite et contrahite matrimonium de eisdem liberis vestris, et thesaurus iste sit eorum. Alexander vero audiens hec, admiratus dixit iudici: nunquam credidi videre homines qui talia iudicarent et facerent. Cui respondit iudex non cognoscens eum: immo suntne aliqui qui hoc non faciant? Respondente Alexandro[Page 522]

plures esse qui sic non iudicarent nec facerent, dixit iudex: pluitne in terra eorum? Tunc, plus admiratus Alexander dixit: talibus, sicut iste est, firmantur celi et terra. Inde dicitur Alexander transisse per quandam civitatem in qua vidit omnes domos equalis altitudinis, et in portis habere foveam, et nullum habere iudicem. Quibus dixit: quid est quod video? Qualiter sunt equales omnes domus iste? Responderunt: superflue altitudinis edificatio cum iusticia esse non potest; nos vero non nisi iusticiam querimus. Quibus iterum ait: qualiter in portis vestris sunt fovee? Responderunt: quia nostre sunt certe domus ad quas habemus celeriter transmigrare. Et dixit iterum eis: qualiter caretis iudice? Responderunt: de nobis iusticiam facimus nosmet ipsi et ideo iudice non egemus. Dicitur etiam quod invenerunt astrologi Alexandrum supra pavementum ferreum et sub velo aureo mori debere. Et eodem quodam die pergente, multum ei sanguis effluxit e naribus, quo debilitatus descendit de equo et tunc unus ex militibus lorica suam accipiens in terram extendit ut sederet Alexander in ea, et panno aureo velavit eum propter umbram. Quo viso Alexander, ad memoriam reductus, dixit: mors mea ecce aplicuit. Et vocato quodam scriba suo dixit: componas istam litteram quam volo remittere matri mee. Que incepit hoc modo: Alexander servus, servi filius, qui modicum corpus suum asociavit terrenis et animam suam statuit alii mundo perpetuo esse debere propinquam, matri sue dilecte Requite, cum qua in domo ista terrena nunquam quievit, et necesse habet facere cras iter et mansionem in domo longinqua. Deprecor, mater, ut nolis in fragilitate cordis mulieribus assimilari, sicut egomet in hiis et aliis actibus nostris conatus sum non equari; sciens pro certo quod de morte non dolui quia certus eram de eventu ipsius, similiter tu dolere non debes, cum non fueris sic ignorans ut immortalem me esse censeris. Scias[Page 523]

preterea quod has composui litteras sperans te confortari per eas; igitur cogitatum meum non paciari intentione frustrari. Et bene nosti quia, quo adhuc moror, locus est peior, et melior ad quem vado. Prepara ergo te qualiter me munde sequaris et pulcre, et famam quam consueveram regnando habere, et de sapientia que jam desinit, tu, tua discrecione ac potencia, suscita; nec velis aliud modo agere, amore mei, nisi quod peto. Nam signum amantis est quod faciat id quod petit amatus. Scias etiam, mater, quia homines te ipsam considerabunt respicientes in tua confortacione et desperatione, si suasionem meam aut suscipias aut spernas. Mater, meditare etiam in omnibus creaturis quomodo sunt earum generacio et corruptio, et utrum corrupta redire debeant ad materiam de qua facta fuerunt. Intuere etiam quot gentes sint perditae; inspice etiam quot pulcre habitaciones dirupte jacent. Scias etiam quod tuus filius parvorum regum nunquam voluit mores habere; similiter et tu debiliū matrum regum noli subire mores; immo secundum altitudinem tui generis, sis confortacionis sollempnis, sciens quod quecumque Deus fecit, in inicio suo sunt modica et debilia, deinde procedendo augentur in posterum, nisi tribulacio sive tristicia que, dum incipiunt, sunt fortia et magna; deinde procedendo debilitantur finaliter et sedantur. Rogo te similiter, mater, ut certificata de obitu meo, precipias ordinari magnum locum, in quo possit poni multum panis et vini, invitari faciens homines multos de terra Libie, Europe, Macedonie et Asie ad diem certum, et precipias quod nullus remaneat quin veniat ad mensam

regine, comesturus et bibiturus. Et postquam aplicuerint, banniri facias quod nullus illorum ad convivandum intret nisi soli illi qui sinistris eventibus nunquam turbati nec gravati fuerunt. Cumque[Page 524]

vicinus fuit morti, testatus est quod locaretur in archa aurea et duceretur in Alexandriam ad sepeliendum. Et servantes suum testamentum, quod statuit compleverunt, assumentes eum magnates sui super humeros, reges scilicet sui, principes et sapientes. Et surrexit unus ex maioribus dicens: qui non ploravit de regibus aliis, modo ploret, et qui de aliquo non est miratus eventum, de isto miretur. Et dixit sapientibus: dicat nunc quilibet vestrum aliquid ad confortandum nos et populum exhortandum. Et tunc unus ex discipulis Aristotelis accedens, super archam sua manu percussit dicens: o bene compositus, quomodo obmutuisti? O valde honorate, quo modo cecidisti sicut venationis preda, in hunc laqueum? Et dixit alter: Consueverat Alexander observare argentum et aurum, nunc aurum observat eum. Et dixit alter: nunc expeditivisti te a peccatoribus sordidis, et bonis ac puris adhesisti. Et dixit alter: heri refrenabat hic homines, ipse hodie refrenatus est. Et dixit alter: hic est qui reges heri oppressit; hodie vero inter nos captus est. Et dixit alius: hic est qui totam perambulavit terram, nunc vero duobus continetur passibus. Et dixit: heri Alexander audire poterat et nullus coram eo loqui presumebat, hodie unusquisque loquitur coram eo, et ipse non audit. Et dixit alius alius: quanto altitudo Alexandri excellencior fuit, tanto gravior est casus. Et dixit alius: non videntes Alexandrum consueverant eo terreri, nunc qui eum aspiciunt non terrentur. Et dixit alius: hic est cui inimici approximare nolebant; nunc etiam amici aproximare contemnunt. Et dixit alius: Alexander heri gentes manu tenebat potencia sua, hodie se manutenere non potest. Et duxerunt corpus in Alexandriam et, cum apropiquarent, precepit mater eius civibus quod exirent excellenciori modo quo possent; et compleverunt quod dixit. Illucque vero pervento, archaque anteposita matri, dixit mater: o fili, mirum est quomodo ille qui sua sapiencia celum apprehendit, et[Page 525]

usque ad extrema terre statuit regna sua, obedientibus sibi omnibus, obdormivit et excitari non potest, tacuit et loqui non potest. O quam magna dona concederem illis, fili, qui facerent tibi scire qualiter exequor ea que tu fieri suasisti! Et hoc, certe, nulla alia de causa facerem, nec de tanto dolore consolationem reciperem nisi quia scio me cito accessuram ad te. Deus igitur te salvet, fili, vivum et mortuum; bonus fuisti vivus, et mortuus bonus existis. Alexandro igitur sic laudabiliter commendato sepulture, statuit mater fieri convivium, litteras suas ad hoc per omnes regiones transmittendo circumquaque; conventuque multi populi facto, preconizare fecit neminem debere ingredi, nisi illos quibus tristes huius mundi casus nunquam contigissent. Videns vero quod nullus intraret ad locum convivii dixit: quare non intratis? Responderunt: tu precipisti, non intrare quibus tristitia huius mundi contigisset; ecce non est hic unus huius rei expers. Tunc dixit: o care fili, quam similia sunt tua posteriora prioribus! Qualiter conatus es me completis confortacionibus confortare! Cum Alexander regnare cepit, XVIII erat annorum, et duravit sua regnatio XVII annis, ex quibus, annis VII processit ad bella, et annis VIII absque impugnatione quievit; victoriam habuit gentium XXII modorum; duobus autem annis perambulavit totum mundum ab oriente in occidentem. Et numerus suorum militum fuit trecenta et viginti tria milia, preter famulos et alios homines: et obiit XXXV anno. Fuit Alexander rubei coloris, lentiginosus, unum oculum habuit varium, alium nigrum, dentes minutos acutos, faciem leoninam; fuit multum fortis et ab adolescentia sua usus est bellis. Et dixit Alexander: decet hominem in comittendis turpibus[Page 526]

verecundum esistere tam intra domum propter uxorem, filios et servos, quam extra domum propter occurrentes eidem; et, licet quod nemo unquam eum observet sit securus, ob suam obmittat animam. Et si ex hiis omnibus erubescere negligat, pudeat propter Deum. Et iubebat quolibet die, tribus vicibus, in suis portis banniri: o homines, obedire Deo melius est quam peccare; nam vestri cautelam habere debetis ex quo confert obediencia et contumacia ledit. Et dixit: non nisi sapiencia constat mundus, nec regna ob aliud diriguntur; et universa rationi subiciuntur et lingue: ipsis enim omnia indicantur. Et dixit:

sapiencia est rationis nuncius, et si nuncius menciatur, mittentem minus innuit preciosum. Et accidit Alexandrum transire per villam in qua regnaverant VII reges; in qua peciit si aliquis ex genere illorum regum subsisteret. Cui respondentes incole dixerunt: unus est superstes. Quibus ait: ostendite eum mihi. Responderunt: in cimiteriis moratur semper. Et ipse precepit eum vocari; eodemque coram eo accedente, dixit ei: qualiter continue in cimiteriis moraris, statum patrum observare omittens? Et ecce volunt te regem facere loco patris. Qui respondit: o felix rex, habeo nunc aliquid agere, quo peracto, faciam quod iubetis. Cui Alexander: quid habes agere? Semper in cimiteriis moraris! Respondit: ossa regia a servorum ossibus segregare molior, set sic ipsa aliis ossibus invenio similia, quod non possum ipsa ab aliis ossibus discernere, ut sequestrem eadem. Cui Alexander: tuum honorem nitaris inquirere et, si alicuius es cordis, paternos inquires honores. Cui respondit: immo, magni sum cordis! Cui Alexander dixit: in quo? Respondit: quia in quo non est mors vitam quesivi, et absque senectute inventam,[Page 527]

et divicias inopie impermixtas, et alacritatem carentem tristitia, et sanitatem infirmitatibus exclusam. Dixit Alexander: ex omnibus hiis, ego nichil habeo. Respondit: inquiras hec ab habente. Dixit Alexander: nunquam vidi aliquem isto discreciorem. Et eodem stante uno die pro [expeticionibus] hominum, prout consueverat semper, nullus ad presenciam suam pervenit aliquid petiturus. Tunc dixit assistentibus: istum diem inter dies regnacionis mee non numero. Et circumstantes dixerunt ei: in exercitu Darii sunt trecenta milia hominum; quibus respondit Alexander: bonus cocus non terretur ex multis gregibus. Et intrantes ad eum quidam sui patriarchae dixerunt ei: ex quo vos Deus ampliavit in regnis, ad hoc ut filios habeatis plures acquiratis uxores. Quibus respondit: non decet a mulieribus vinci qui viros fortissimos superavit. Et intravit ad eum quidam cum ruptis vestibus, bene eloquens, et ad interrogata bene respondens. Cui dixit: si sicut tua ratiocinatio sic tuus esset vestitus, quid iuris esset in ornamento tui corporis impendisses, sicut anime quod meruit de scientia contulisti. Cui respondit: domine rex, ratiocinationem adipisci valeo ex me ipso, vos tamen potestis vestimenta concedere. Et precepit regio munere eius nuditatem sublevandam. Item duxerunt coram eo latronem quem suspendi precepit; ad quem latro: dolens commisi quod commisi. Ad quem Alexander: propterea te dolentem suspendent. Et introivit ad eum quidam dicens: o rex, iubeatis mihi dari X milia marobotinorum. Cui respondit: non meritus es. Et dixit: si non meritus sum habere, vos dare meremini, Et requisivit Platonem sapientem dicens: quid decet regem semper agere? Respondit:[Page 528]

de nocte cogitare de bono regimine populi, et in die perficere cogitatum. Et interrogaverunt eum: quid acceptabilior fuit tibi ex hiis que tuo quesivisti dominio? Respondit: quia famulantibus mihi ultra quam meriti fuerint, compensatis serviciis, potui providere. Et dixit Aristotili: quibus hominibus utar meis negociis, consule. Respondit: qui servos habet seu subiectos et eos bene gubernat, hunc super tuam constitue familiam; et qui hereditatam possidet et eam decenter procurat, super proventibus hunc procuratorem constituas. Increpabant autem eum, qualiter ipsemet pugnabat. Ad quos respondit: alios pugnare pro me, manente me in quiete, inconveniens censeretur. Et dixit ei patriarcha: plures habemus captivos, servos. Respondit: nolo servorum dominus esse, qui liberorum dominus existo. Contendentibus coram eo duobus, dixit eis Alexander: uni vestrum sententia placet, alii displicet: assenciatis igitur veritati et placebit utrique. Et dixerunt ei: qualiter magistrum tuum patre tuo magis honoras? Respondit: quia a patre vitam ad tempus, a magistro vero possideo sempiternam. Et dixit: nichil in meo dominio preciosius reputavi, quam me offendensium habere potenciam, et ex eis non ulcisci. Et quando capte fuerunt filie Darii, ipsarum pulcritudinem retulerunt eidem; ipse autem nec intueri easdem voluit, nec indecencia operari, dicens: turpe est vincere homines contententes nobiscum, et mulieres eorum nostro deputatas carceri nos vincam. Sermocinatus est coram eo quidam predicator, et longum sermonem egit; et tedio affectus Alexander dixit: non est laudabilis predicatio que iuxta predicantis vires effunditur, set, iuxta possibilitatem audientium si fiat, tunc bona est. Et interrogavit unum ex hiis qui

secum morabantur: quare hominum amor requiritur? Respondit: per beneficia que conferuntur eisdem, si suppetant facultates; si vero non suppetant, non inferant lesiones. Et interrogavit quendam sapientem: quo modo quis absolvitur a delectationibus? Respondit: ut que crediderint dicat. Et dixerunt ei: duo germani contenderunt in absencia vestra, alio alii asserente: mirum erit nisi que committimus rex agnoscat. Alius frater respondit propterea quod non cognoscat rex que meremur, nos que mereri debemus minime negligamus. Et rex mandavit eis magna donaria concedi. Et dixit: homines ex inimicis magis quam ex amicis sibi proficiunt, quia inimici dum inter se errores improperant, exinde aliquando corriguntur; amici vero suos inter se non improperant errores, immo potius occultant, propter quod non abstinent ab eisdem. Et quesiverunt ab eo: quare sic invenis existens tante fuisti potencie? Respondit: quia semper conatus sum multos amicos habere, et bona inimicis conferre; et taliter donando factus sum potens. Et dixit: amissor est qui bonos perdit amicos, non qui filium vel thesaurum. Et dixit: sperare homines ad beneficia tua est melius quam eos te timere de inflictione damnorum. Et quadam die, cum ambularet super portum, quidam credentes quod esset alius quidam cum quo ridere solebant, proiecerunt aquam super eum et, percepto quod Alexander esset, terrii sunt vehementer. At ipse dixit: non terreamini, quia hec non intulistis mihi, sed illi potius quem vos perfundere putabatis. Quadam die, cum Aristotiles aliquos filios regum una cum Alexandro doceret, peciit idem Aristotiles ab uno illorum sic: cum regnabis, quid tu mihi facies? Et respondit: omne meum negocium in te ponam. Et dixit alii: et quid tu?

[Page 530]

Respondit: partem regni mei tibi tradam. Tunc dixit Alexandro: et quid tu facies? Respondit: magister, super eo quod in crastinum facturum sum tibi, tu hodie non requiras, sed de eo quod nunc tibi vis agendum, si placet, inquire. Nam si, sicut tu dicis, regnavero, tunc faciam quod reputabitur conveniens agere talem et tantum tibi tali et tanto. Et dixit Aristotiles: indubitanter scio te regem magnum futurum, quia tam natura quam faciei figura ostendunt. Et dixit cuidam vicedomino suo qui longo tempore moratus est cum eo, qui de nullo vicio existente in eo increpaverat eum: non delector in tuo servicio. Qui respondit ei: qualiter, domine? Et dixit: quia homo sum et ideo non totaliter immunis ab errore; si ergo, tanto tempore, meum errorem non percepisti, es ignarus; si sciens occultasti es mei fraudator. Et dixit: scienciam ratio perquirere non omittit, sed corpus eam deferens negligit illam, sicut albedo in nigritudinem non mutatur; immo corpus, ipsas deferens, transmutatur ab eis. Et dixerunt Nichomaco: quo modo tam celeriter facti sunt homines obedientes Alexandro? Respondit eis: propter id quod vigit in eo virtus iusticie, bone conversationis, et vite ac regiminis excellentis. Et consueverat Alexander suos informare clientes dicens: honorate parentes vestros, amicosque et benefactores vestros similiter. Et destituit quendam vicedominum suum quadam sua nobili hereditate, et aliam minus nobilem concessit eidem. Cui, post lapsum temporis, dixit Alexander: quomodo in vicedominio tibi succedit? Respondit: vicedominatus nobilem non efficit hominem, sed nobilis homo vicedominium ad gradum nobilitatis extollit, in conversacione vite laudabilis et largicione iusticie salutaris. Et ostendit unum es suis cuidam alii,

[Page 531]

cui dixit: quamdiu est quod eum novisti? Et respondit: tamdiu. At Alexander ait: priusquam tu, ipsum novi. Et quesiverunt duo homines filiam divitis in uxorem, unus dives et alter pauper, et dare eam maluit pauperi quam diviti. Cui dixit Alexander: quare hoc fecisti? Respondit: quia dives est ignarus, abilitatus fieri pauper, et pauper est sapiens abilitatus fieri dives. Et quesivit Alexander a quodam sapiente: cum quibus regnorum regimina diriguntur? Respondit: cum obediencia populi et iusticia regis. Accidit Alexandrum preliari cum quibusdam et, supervenientibus mulieribus ad preliandum cum eo, noluit plus pugnare dicens: hec est milicia, qua victa non reputaremur prudentes ex hoc, et si vinceremur ab eis, improprium perpetuum esset nobis. Et dixit: expedias cum rege te ipsum, cum sua negocia sunt concussa, quia pauci sunt maria tentantes, qui in tranquillitate eorum evadant, quanto minus eum fluctuant ex tempestate

ventorum. Et dixit: benefac, si tibi vis benefieri. Et dixit: quam turpe est pronunciare aliquid et opera non complere, et quam pulcrum opera prius apparere quam dicta! Et dixit: laudabilis libertas est, eorum que alii possident ambitiosos non esse. Et intruxit eum pater ad audienda documenta magistri; qui respondit: non solum audire cupio, set et audita complere. Et dixit: turpius est discrecionis quam diviciarum habere deffectum. PTHOLOMEUS fuit homo valde intelligens in quadrivialibus scienciis et maxime in astrologia, et libros plures et nobiles edidit; et ex eis, unus fuit magnus et completus, liber nominatus Almagesti. Natus fuit in Alexandria majori, que est in terra Egipti. Illic etiam fecit suas consideraciones tempore regis Adriani, et fecit suas rationes super consideracionibus Abrakis,[Page 532]

quas consideravit in Rodes. Et Ptholomeus non fuit rex, sicut aliqui crediderunt, immo vocaverunt eum regem Ptholomeum sicut alius vocatus est Cesar. Fuit autem Ptholomeus bone forme, albi coloris, habens in maxilla dextra rubeum quoddam signum, et raros dentes, et os parvum, boni et dulcis eloquii, fortis ire et dominabilis; multum equitabat et parum comedebat, bene redolebat. Obiit in LXXVIII anno. Et dixit: convenit sapienti ut de Deo erubescantiam habeat, ut in eo plus quam in alio meditetur. Et dixit: sapiens est qui in Dei eloquencia statuit et roborat linguam suam, et insapiens est qui non cognoscit semet ipsum. Et dixit: qui sui plurimum est contentus, dignus est ira Dei. Et dixit: sui equitate gratuita Deus agit, ingrata vero et mala permittit ut agentibus et abstinentibus retributionem impendat. Et dixit: morti quanto magis proximus fueris, tanto plus bonis operibus invalescas. Et dixit: in corde stulti sapiencia non quiescit, nisi velut transiens abire festinans. Et dixit: bona instructio, sensus seu discrecionis est socia, et hominibus est gratus interpret. Et dixit: non moritur sapienciam habens, nec habens intelligentiam pauperescit. Et dixit: sapientes sunt velut extranei qui inter plures ignaros conversantur. Et dixit: sapiencia est arbor que frondescit in corde, fructificatura in lingua. Et dixit: quanto humiliores sapientes extiterint, tanto discreciores habentur velut concavus locus plus aque continens quam convexus. Et dixit: insipientum sunt delicie sicut horti sine fimorum sterquilinio. Et dixit: non nisi cum noscente veritatem disputare intendas, nec impendas nisi petenti consilium, nec nisi bene conservanti tuum pande secretum. Et dixit: qui vivere cupit, suum contra adversitates cor[Page 533]

[adaptet]. Et dixit: grandem efficit tristiciam arta domus. Et dixit: ex reato quod protuleris, potius quam ex veri prolatione leteris. Et dixit: cum irascaris, non sit ira tua multum durabilis, ymmo indulgeas ob potenciam parcere non obmittens. Et dixit: bonorum corda castra sunt secretorum. Et dixit: qui ab hominibus non corripitur, ab eo homines corrigentur. Et dixit: qui iusta consilia postulat [commendatur] si votum assequitur, aut [si] erraverit non culpatur. Et dixit: qui suam occultat scienciam, non est de non errando securus. Et dixit: qui tua donaria recipit, liberalitatem tuam promovet; nam si receptor abesset, non existeres liberalis. Et dixit: dirigere populum est melius quam milicia habundare. Et invitavit rex Ptholomeum ut cum eo comederet; cui respondit quod nollet, quia regibus contingere solet sicut ymaginum inspectoribus, qui eis non sunt contenti, nisi cum eas de proximo intuentur. Et dixit: malum malo exime, quia ferrum non vincitur nisi ferro. Et dixit: spes iocunditatis est successio quia, quantolibet differatur, sapor blanditur ipsius. Et dixit: securitas, singulorum aufert tristiciam; plurium solacia demit timor. Et dixit: sicut cibus et potus egris non conferunt, sic cordibus mundi amore perplexis non conferunt verba Dei. Et dixit: nunquam conati sunt homines ad non publicanda occulta, quin patefacerent ea. Et dixit: mundi preciosior est homo qui non est perplexus in cuius potestate sit mundus. Et dixit: duarum naturarum sunt homines; quidam non[Page 534]

satiantur licet inveniant, alii non inveniunt licet inquirent. Et dixit: invidus utile sibi quandoque reputat perdere bona sua. Et dixit: homines causa sunt acquirendi peccuniam, et pecunia causa est homines acquirendi. Et ille cuius scientia sensum excedit, est ut pastor debilis, gregibus fecundis habundans. Et dixit: concupiscenciarum servus, empticio magis servus est. Et dixit: quanto quis suo dominio se magis extulerit, tanto, cum eo

privabitur, maius senciet detrimentum. Et dixit: solers est quem non divicie a sui finis meditacione excipiunt, nec quantumcumque grandis et inopinatus eventus acciderit, a finis expectatione subducit. Et dixit: certitudinis clavis est cogitatus. Et dixit: rogatio petitionis est ala. Et dixit: negatio tenacis in dando, melior est prodigalitate vastantis. Et dixit: non est res adeo Deo grata quam illi qui te offendit bona conferre. Et dixit: si sapiencior fleri volueris, ad rudes et inscios non advertas, sed ad illos qui sapiencia te transcendunt. Et dixit: quousque finis pertingat extremum, sua spe anima non frustatur. Et dixit: deterior inimicus quem aliquis habere potest est animam habere ignaram. Et dixit: bona voluntas boni fundamentum est operis, et opus bonum est alterius mundi legatus. Et dixit: malam renuens opinionem et bonam assumens, cor habet quietum et veri amorem gerit. Et dixit: infirmitas carcer est corporis, et anime cogitatus.

ASSARON dixit: quinque de causis rex damnificatur: prima est temporis ariditatis excessus, ita quod uno anno post alium[Page 535]

pluvia succidatur; secunda est in errario suo conservationis et thesauri defectus; tertia est mulierum, vini, venationis et laxamenti multiplex usus; quarta est malos habere modos inique agendo, et in penarum afflictione crudelem esse; quinta est plures inimicos et adversarios habere. Et dixit: mores eleganciores quos habere possibile est, sunt esse liberalem et verecundum. Et dixit: liberalis male vivere non potest nec vituperari veridicus, nec humilis odiri, nec moderatus comessionibus egrotare, nec penitens esse ad propria negocia bene attendens. Et dixit: non oportet regem iu eum despiciente confidere, nec in cupido multum, nec in eo qui multum transivit inopiam, nec in eo qui, quo penam meruit, commisit errorem, nec in illo quem dominio privavit et bonis, nec in eo qui regio regimine passus est damna, nea in eo qui amiciciam cum inimico regis contraxit; immo necesse est talibus nullam concedere potestatem et, si est possibile, eorum carere suffragio in nullo eis incumbens. Et dixit: qui splendide vivit cum rege et persistit magnifice impossibile est eum in aliquem non venire deffectum, propter quod regem sapientem oportet attendere ut, cum aliquem ex suis audiverit contra se commisisse delictum, hora non transeat quin de veritate constet eidem, et similiter de quantitate delicti, et si de conscientia fuerit aut errore commissum, et si condicionis est talis ut credatur ipsum ad tale quid facile redire vel non. Et dixit: regis famulantibus expedit suam ostendere virtutem, et fidem, et nobilitatem generis sui, ut conscius rex status et condicionis uniuscuiusque ipsorum, cum eis posset sua[Page 535]

pluvia succidatur; secunda est in errario suo conservationis et thesauri defectus; tertia est mulierum, vini, venationis et laxamenti multiplex usus; quarta est malos habere modos inique agendo, et in penarum afflictione crudelem esse; quinta est plures inimicos et adversarios habere. Et dixit: mores eleganciores quos habere possibile est, sunt esse liberalem et verecundum. Et dixit: liberalis male vivere non potest nec vituperari veridicus, nec humilis odiri, nec moderatus comessionibus egrotare, nec penitens esse ad propria negocia bene attendens. Et dixit: non oportet regem iu eum despiciente confidere, nec in cupido multum, nec in eo qui multum transivit inopiam, nec in eo qui, quo penam meruit, commisit errorem, nec in illo quem dominio privavit et bonis, nec in eo qui regio regimine passus est damna, nea in eo qui amiciciam cum inimico regis contraxit; immo necesse est talibus nullam concedere potestatem et, si est possibile, eorum carere suffragio in nullo eis incumbens. Et dixit: qui splendide vivit cum rege et persistit magnifice impossibile est eum in aliquem non venire deffectum, propter quod regem sapientem oportet attendere ut, cum aliquem ex suis audiverit contra se commisisse delictum, hora non transeat quin de veritate constet eidem, et similiter de quantitate delicti, et si de conscientia fuerit aut errore commissum, et si condicionis est talis ut credatur ipsum ad tale quid facile redire vel non. Et dixit: regis famulantibus expedit suam ostendere virtutem, et fidem, et nobilitatem generis sui, ut conscius rex status et condicionis uniuscuiusque ipsorum, cum eis posset sua[Page 536]

promovere negocia et, ut expedit, executioni mandare. Et dixit: si rex obedienti et fideli et, e contra, demerenti, pro meritis

non respondet, ut alii ob retributionem nitantur, et alii terreantur acerbitate terrorum, nec rex reputari debet nec agendorum suorum director. Et dixit: si regis consultor et phisicus eius, in cunctis vota sequantur, rex semper damnificabitur et erit infirmus continuo bonique finis expectatione fraudatus. Et dixit: si rex incumbat alteri de rebus quas ex se ipso agere debet, grande consequetur damnum; et similiter si sibi incumbit de rebus alteri committendis, est ad populi sui damnum, eo quod ad aliqua rex habet modo respectum que investiganda forent modis pluribus a perfecto, quemadmodum in vino contingit quod colore, sapore, substantia vel odore detestandum quandoque censetur; et si quis in uno predictorum decreverit, abiectis aliis, suorum viciorum ignarus iudicare non poterit quod sit bonum. Et dixit: secrecius consilium regis est consensus, et ipsius opera sunt melior thesaurus eidem; et inter homines verax est melior, et sapiens melior persuasor, et meliores divicie sunt que decenti conveniunt lucro, et sapienciarum melior est que nobilibus reconditur acquisita. Et dixit: decet regem illi committere sua negocia quem fide et sensu probavit; et si talem habere non poterit, ei qui cum sapientibus et bonis conversatus est committat. Et dixit: sapiens rex et intelligens invalescit consultacione prudencium, sicut infusione olei lumen ignis. Et dixit: oportet regem discretum, si duo habeas agere que invicem efficere nequit, a nobiliori incipere et magis utili, et si nobilitate[Page 537]

ac commodo ambo sunt equalia, inciet ab illo quod si confestim non egerit, in futuro fieri non poterit. Et dixit: si rex felix extiterit, sua bene agentur negocia; et si sapiens, sapiencia sua roborabitur in tempore; et si verus, populus gaudebit cum eo; et si iustus, regnatio sua durabit. Et dixit: decet reges culmen et famam perquirere et alias etiam dignitates, veruntamen cum mensura, quia supervacuum durabile non est. Et dixit: oportet regem regnum acquirere ut ipsum iusticie observacione conservet, quia plurimum est grave regnum acquirere, set gravius conservare. Et dixit: sensu compleciore est qui se ipsum agnoscit licet plurimum habundet in bonis et qui obedire nunquam Deo desinit, quacumque occasione contingente, sed continue ad gratam eius retributionem intendit. Et dixit: velut nubis umbra non permanet, sic malorum amor et lex iniqua non durat. Et dixit: damnum a se sapiens conatur abicere, et ad se ipsum sepe trahere molitur ignarus. Et dixit: expedit sapienti qui regi adheret ut, si viderit aliquid agere sibi vel regno aut populo nocivum, recitet hystorias et exempla que in simili negocio contingerunt ut a tali facto desistat; eo tamen referat modo, quod illa non percipiat pronunciata pro eo. LOGINON fuit niger in Ethiopia natus, discens sciencias in terra Sem. Extitit vero tempore Davidis prophete. Hic fuit cuiusdam judei empticius qui eum emerat pro XXX marchis. Solebat itaque dominus suus ludere cum taxillis, et ante portam eius fluvius quidam currebat. Igitur, cum quadam die luderet ibidem cum quodam judeo, dixerunt ad invicem: quicumque[Page 538]

nostrum perdiderit, faciet victoris voluntatem aut hauriet huius fluvii aquam. Cum vero dominus perdidisset, dixit vincens: bibe aquam fluvii sicut conventum est, aut fac quod dixero. Ad quem ait: paratus cum stare iudicio tuo. Tunc ait victor: vel eruam oculos tuos, vel quidquid habueris dabis mihi. Respondit victus: huius diei terminum concede. Ad quem victor: annuo. Et remansit eodem die cogitans multum usque sero. Tunc Loginon cum uno fasce lignorum super humeris, ad domum domini rediens, depositis lignis salutavit eundem. Cui nullum verbum reddidit dominus licet alias consueverit, eo viso, letari et ridere cum eo ob bona verba que referre solebat. Et dixit ei Loginon: domine, quare sic es tristis? Et ille nichil locutus est. Loginon iterato allocutus est dicens: obsecro, domine, mihi disseras meroris tui causam; forsitan potero aliquid adhibere remedii. Et locutus est dominus, sibi aperiens totam seriem rei geste. Ad quem Loginon: nullo cogitatu plus vexeris, quia bonum consilium tibi dabo. Dices victori: aquam fluminis obligavi me bibere; teneorne aquam bibere quam riveria modo continet, aut etiam omnem aquam que deinceps fluendo ad ipsam riveriam pervenit? Et certus sum ego responsurum eundem ut aquam quam nunc continet riveria bibas. Et si hoc dixerit, alleges eidem: aquam fluentem continuo ad ipsam riveriam compesce, et tunc bibam illam quam ipsa riveria continet. Quam

fluentem aquam compescere non poterit et sic prevalebis in eum. Quo sic exposito valde letatus est dominus. Et die altera subsequente venit victor eum inquirere, ac judeus contra eum sicut Loginon eum informaverat allegavit, et obtinuit in causa judeus hoc modo; propter quod dominus contulit beneficia multa Loginoni, et ex tunc sapienciam Loginonis singuli perceperunt. Et[Page 539]

vidit quidam Loginonem cum bonis hominibus conversantem, quibus recitabat rationes multum pulcras et bonas; cui dixit: non es tu ille qui, tali loco, mecum custodire greges solitus eras? Respondit: sum. Et dixit ei: quis igitur te ad hunc perduxit statum? Respondit: veritatem proferre, fidelem existere, et super inutili re non vacare. Et ove quadam occisa, dominus dixit eidem quod de meliori eius loco partem ei ferret. Et accedens attulit ei cor. Et dicunt eum, hora quadam sexta, audisse vocem dicentem: vis dominari terre? Respondit: si Deus sic voluit esse, ei obediam, et si me pacietur eligere, eligam pacem. Et dixerunt ei: quare non vis rex effici? Respondit; quia si recte iudicavero increpationes hominum vitare non potero, et si erravero, a semita paradisi diverter; ego enim in hoc mundo vilipendi et vexari potius elegi quam potens et honorandus in eo existere, quia qui alium mundum alienat ob istum, utrumque amittit. Deus vero exaltavit eum et sapienciolem statuit super terram. Et videns David conferentes homines inter se, eo tacente, dixit ei: quare non loqueris ut alii faciunt? Respondit: quia non nisi de Deo est bona colatio, nec bonum silencium nisi in cogitatu divino. Et dominus Loginonis ampliavit eum in bonis, et cepit ea ipse distribuere in helemosinas, sine pignore et cautela accomodando pauperibus, dicens cum largiebatur; accipe sub Dei homagio et mihi restitue anno completo. Et ob hoc multiplicavit eum in bonis Deus. Et dicunt quod Loginon, postquam factus est valde sapiens, se subtraxit ab hominibus et[Page 540]

eorum maliciis, et posuit se inter arenale vel altare et templum, et ibidem in solitudine stetit usque ad obitum suum. Et predicans filio suo dixit: fili, sis abstinens, et proterea cum anima tua prelieris; nam si abstineris a rebus per Deum prohibitis, abhominans mundum, despiciens contingentes eventus, nichil morte plus obtabis, appetens semper eam. Fili, malum vitare et exequi bonum coneris, quia bonum malum mortificat. Et mentitus est dicens: malum non alio quam malo damneris; nam si veritatem proferres ignem igni adiungeres, et ignis taliter non exstingueretur; sed noscas malum non nisi bono totaliter privari, quemadmodum destruit aqua ignem. Fili, loquere de Deo semper, quia Deus de se loquentem disponit. Fili, tuis utrisque oculis tua opera antepone, et opera tua iam peracta post terga. Fili, cum peccatorem videris, non ei impropere peccata commissa, set memoreris tuorum, quia non nisi pro tuis operibus requireris. Fili, amore mundi huius non impedias animum, quia non propterea in hunc mundum venisti, nec creavit creaturam Deus potius in hoc mundo despectam, nec statuit suum gaudium obedientis in meritum, nec infidelium penam sui disposuit tempestatem. Fili, modicum tibi sufficiat, et satisfaciant habita, et quod habet alius non affectes. Fili, virtute te tempera, et sapiencia replearis, cum hiis qui de ea conferunt moliens iugiter conversari; ob hoc enim vivificabitur sapiencia tua. Fili, sis mansuetus, benefactor, et multe cogitacionis, modice,[Page 541]

nisi in veritate, loquere, multiplicis luctus, non derrideas nec rixeris, non contendas; cum tacueris, cogites: ex silencio enim bona succedent. Ego tamen de taciturnitate nunquam penitui, set aliquociens penitui de loquela. Fili, non sit gallus te magis sollicitus qui, certis horis nocturnis, alis agitatis, cantat. Fili, Deum time et hominibus vanigloriosus ne ostendaris. Fili, ex eo quod non est in te et tamen tibi homines attribuunt non frauderis, nec dictu alicuius seducaris ignari dicentis quod manuteneas margaritam et non teneas nisi gipsum. Fili, in hiis informeris quibus dominus te instruxit, quia bone sciencie est illud quod proficit, nec sapiencie, nisi eam incitans, potest profectum gustare; qui enim eam scit et eam deserit, non gustabit. Fili, qui Deum magis agnoscit, magis veretur eum. Fili, addiscas bona et doceas, quia doctorum eloquia fontium aquis equantur quibus uno die post alium homines sibi serviunt consequenter. Fili, scias quod insipiens est infelix; si loquatur sua sibi obstat locutio; si sileat, minus valebit silentio; si operabitur malum

prodit opus; si studuerit frustra ponet expensas; si ditabitur furiet; si pauperabitur, desperabit; si prevaleat aliis superbiet; si minus valeat se submittet; si petat, petet contenciose; et si ab eo petatur, dare negabit; si que dederit, improperebit; si concedatur eidem, non gratificat acceptum; si secretum sibi commiseris, illud evomet; et si tibi commiseris, te suspectum habebit; si minus potens te erit, mala parabit; et si potencior, te violenter tractabit; si comitaberis eum, molestaberis ab eo; si ab eo dissociaberis, te sequetur; et qui corripit eum non proficit, nec eius correptio finem habet; sui socii non letantur cum eo, nec eum mittenti obedit; si loquatur, dicta non contestantur; si alii sibi loquantur, non intelligit eos; cum letatur, sine modo letatur; in adversis patiencia nescit uti; si rogatur ut indulgeat, parcere[Page 542]

denegat; non est benefactor sed deceptor; eo quod opinatur et dicit contentus est, licet cum sapientibus discordet, et se male egentem benefacere reputat; tenet se sollicitum, cum sit piger et negligens, et pro bono cum malus existat, et pro sapiente cum sit ignarus; et si veritas suo voto consonet, eam diligit et commendat, et si dissonet, eam vituperat et abhorret; si cum sapientibus studebit, nec humiliabitur nec ascultabit eosdem; et si studuerit eum minus eo scientibus, eos despiciens deridebit; et benefacere indicit, et ipse male facere percipitur; precipit veritatem proferre, et ipse mentitur; discrepant facta dictis, nec quod corde gerit lingue coheret; mundum istum pro alio comparat; si sapiens non fueris te docere non curat; et si sciveris minus eo, te deridens docere despiciet; si fueris dives, te nunciabit austerum; si pauper, nullius valoris te dicet; si bene egeris, ob ypocrisim te id egisse dicet; si male, diffamaberis ab eo; si donaveris, vastatorem, si non, te nominabit avarum; si mansuetus, et hominibus herens, te ypocritam nominabit; et si elongeris ab eis, dicet te per arroganciam id fecisse. Mores vero sapientis felices sunt bona continencia, iusticia, bene agere, bene scire, sollicitudo, indulgencia, humilitas, locutio suo loco, eodem modo silentium; mensura in sui potencia; liberalis petentibus; sapienter profert si loquatur; intelliget allegata; si monstraverit, mansuete monstrabit; si didicerit, bonas questiones movebit; si benefiat ei, gratificat; si secretum ei commiseris, non revelabit; et ei ipse tibi committat, de te plene confidet; et si aliquid dederit, non improperebit; vult pro aliis quod sibi vult fieri; si ditabitur non furiet; Dei non obliviscitur, pauper sit sive dives; sua sciencia proficit; predicanti credit; maiori se non adversatur, nec despicit se minorem; in quo jus non habet,[Page 543]

non postulat; est responsione gratus; quod ignorat non profert; suam non celat scienciam; anxiatur cum hominibus et ipsi cum eo quiescunt; ad veritatem animam cogit, velit ipsa aut non; suscipit sensum suum; corrigente corrigitur; cito ad bonum labitur et tarde ad malum; constans est in bonis operibus et lentus in malis; cum testis erit, eius testimonium erit verum; si iudex sit, recte iudicabit aut equum; in cunctis fidelis decernitur; pro malis bona impendit; aliena non appetit; extraneum se reputat mundo huic; non habet nisi sui exitus cogitatum; benefacere precipit et ipsemet benefacit; malum prohibet et ipse etiam vitat illud; quod corde gerit ei quod lingua profert concordat, et similiter dicta factis. Fili, intellige sapienciam et proprietates omnes eidem pertinentes, et exercita te in ea, nec in alio cogites; cumque acquisieris eam, leteris, sciens quod non nisi mansuetudine acquiritur ipsa, nec absque lingue custodia; nam lingua est armarii sapiencie hostium quod, nisi laudabiliter observetur, quis voluerit introibit; et si hostium servabitur, armarium salvum erit; et lingua est boni et mali clavis, igitur sigilla eam sicut aurum et argentum sigillas. Fili, noli amittere tua et aliena servare; quia tuum est quod pro anima tua erogas; et erit quod post dies tuos erogas, alienum. Fili, Dei sapienciam honora, quam despicientibus non effundas, nec appetentibus eam vetes. Fili, duo sunt ex hominibus huius mundi solliciti; unus est cui altitudinem et nobilitatem annuit Deus, et ipse nichilominus ad alterius mundi sublimitatem et nobilitatem conatur; alter est habens victum exiguum, et sustinet donec veritatem perpendit, et bene admodum servit Deo. Fili, qui miserebitur; eius miserebitur alter; qui tacet salvus existit, et perdicioni deditus est non cohibens linguam suam; et penitet qui[Page 544]

mendacia profert; et malum cohibens, sui ipsius est custos. Fili,

sustinentis iniuriam vita clamorem, quia non est clamor in hoc mundo sic Deum provocans, nec pro quo tam celeriter impetrari possit responsum. Fili, quod habes tibi sufficiat, neac appetas aliena, nec concupiscas quod scis habere non posse. Fili, predicacionum verba, licet sint gravia, attente recipias; infelix enim est audiens et non proficiens in eo quod audit, ab eo quod novit velut a non profectivo absentans, quod videt pertransiens velut cecus; felix vero est ex eo quod novit profectum assumens et, ad verba intentus, eligit meliora. Fili, associas te illis quos diligit Deus, et quibus gratum ostendit vultum, et associaberis illis qui de moribus bonorum fuerint caput. Fili, cum Deus benefecerit tibi, gracias age, et sis humilis cum recepto, benefaciens exinde te minus habenti. Fili, ex multis que commiseris operibus, non efficiaris elatus: nescis enim si grata, aut non recipiat ipsa Deus, cum quodlibet opus aliquid adversum contineat; operis vero adversum est elatio mentis. Fili, cuncta mundi oblectamenta habere non petas, immo id lucrari coneris quod te magis propinquum facit esse Deo. Fili, conformes te Deo in diligendo sibi obedientes et inhobedientes horrendo. Fili, nichil acceptabilius bono sensu: sensus vero humanus non nisi condicionibus X perficitur et sunt iste: non apreciari se ipsum, bene agere, necessariis ad vitam esse contentum, bona erogare pro Deo, querere honorem potius quam dedecus, non tedere cunctis diebus tuis perquirere scienciam, et non gravari querentibus conferre amorem, et de modico amoris alteri petendo[Page 545]

gravari, [ex quo] magnum Dei acquiritur premium; decima est reputare omnes se meliores, et singulis se peiorem; nam homines sunt duorum modorum alii sunt meliores, alii peiores. Igitur humiliandum ambobus, meliori scilicet ut qualis ipse est talis [fias], peiori ut credas bona ipsius latere interius et exterius non parere, quod laudabilius est pro eo; et meum bonum patens est, et sum propterea peior: et ex hac consuetudine [perficitur sensus humanus], et omnium sui temporis talis dominus reputatur, eo quod bonus sensus nobilitatis finis est, cum bonitas sensus hominis repellat vicia et defectum. Fili, Deum ora ut pravam non habeas uxorem, et nichilominus habeas vitam bonam; nam mulieres, raro declinantes ad bonum, facile accedunt ad malum. Fili, mercare cum Deo et absque capitali lucraberis. Fili, ex hiis que nosti, alium instrue, et ex scienciis sapientum sciencie tue adiunge; malis non te associes, ne similis reputeris eisdem, nec de domo confidas in qua vivis hodie: in crastino forte morieris. Fili, cum sapientibus jugiter conversare quia Deus sapiencie verbis corda illuminat, sicut pluvie rore irrorat terram. Et [dicunt] quidam quod sepultura Loginonis sita est inter mesquitam harenalis et locum ubi sit forum; et ibidem LXX prophetarum facte sunt sepulture, qui mortui fuerunt omnes post Loginonem, quos prophetas obsesserunt filii Israhel quousque fame perierunt. Et cum Loginon[Page 546]

morti appropinquaret, ploravit; cui dixit filius: ad quid ploras, pater? Agis hoc mortis timore aut dolore mundi quem deseris? Respondit: ob nullam ex istis causis ploro, sed ex eo quod habeo grave iter pergere, et fortes restant transmeandi transitus, et modicum fero victus et onus grande, ignorans si alleviabor oneribus istis priusquam illius itineris caput attingam aut non. Et, hiis finitis, obiit. Et dixit filio suo: Fili, Deum time, nec ostendas te eum timere ut ab hominibus honoreris. Fili, cum ad locum perveneris in quo de Deo loquantur homines, morare cum illis, quia si sapiens fueris sapiencia crescet; si indoctus, instrueris ab illis; et etiam si Deus benefecerit eis, particeps eris in bonis. Et in loco ubi de Deo non loquantur homines non quiescas, quia non proficies in sapiencia si sapiens fueris, et in ignorancia cresces si fueris ignarus; et si dominus etiam contra illos turbetur, eris particeps damni. Fili, verecunderis de Deo quantumcumque circa te fuerit, et timeas eum in quantum potens existit. Et dixit: interrogatio est sciencie medium, et hominibus blandiri est medium sensus, et vite moderatio est medium victus. Et dixit: quemadmodum inimicus fit, doni largicione, amicus, sic amicus fit, superbia, inimicus. Et dixit: qualis sit sensus ostendit eloquium; igitur que proferes investiga. Et dixit: in recomendacione Dei homo quiescit, et mendacis premium est ut non credatur eidem. Et dixit: non credenti tibi rumores non referas, nec petas ab illo quem tibi donare diffidis; et quod non potes

exequi non promittas, nec deponas aliquid quod non es retrahere securus; et propter illud quod habere non est possibile non attempts. Et dixit: cave a societate mendosi, quem si vitare non poteris, non credas eidem. Et dixit: fili, ad sedendum in[Page 547]

altiori loco domus aut palacii non accedas, quia melius est quod tranferaris altius quam inferius subducaris. Et dixit: plures studiosis invidi sunt, quia quibus invident magis habere credunt.

Fili, exhortor te quod Deum timeas, quia rectum est et utile tibi, nec de cogitando in eo vacillet cor tuum, quia loqui de Deo sic alias loquelas excellit velut Deus ipse cunctas creaturas. Fili, in divinis serviciis non erres, alicuius increpacione coactus. Fili, orationem fac tibi iudicium, quia sic est oratio velut navis in marij que si peribit, [et] omnes cum ea peribunt, et si evadat, evadent omnes. Mundus quem singulis diebus obmittere cogitas ac noctibus, nullius est precii, sed qualiter ab eo exiens necessaria tecum deferas innitaris. Et dixit: quomodo potest quis alterum sibi subigere, cum non possit suam animam subiugare? Et dixit: bona voluntas est unum ex bonis quibus Deo servitur, et laudabilium auditus est unum ex gratis moribus sensus, et boni habitus esse est liberalitas quedam, et grata responsio est una ex bonis sciendis consuetudinibus. Et dixit: si pro aliqua legacione nuncium expediat mittere, sapientem transmittas, in cuius defectu, tu ipse incedas. Et dixit: qui pro altero mentitur, illi non credas, quia de te alteri similiter menciatur; nam facilius est montes de loco transferre quam, non potenti capere, capiendi tradere intellectum. Et dixit: non committas anime tue quod erubescis hominibus pandere; de Deo enim magis quam de hominibus verecundari teneris; nec sis perfidus, quia perfidia sanguinem perturbat et mores, immo cupias magis audire quam loqui. Et dixit: cavete vobis a malis hominibus, et[Page 548]

corda vestra salvabuntur, corpora vestra quiescent, et vestra commoda sencietis. Et dixit: duo sunt paciencie modi, unus est hominem pati quod odit quia hoc facere rectum est, [alius] est pati quod sua voluntas facere prohibet eo quod id agere non sit rectum. Et dixit: tres homines non nisi in tribus rebus cognoscuntur: pociens enim non nisi in iracundia sua cognoscitur, nec agonista nisi in pugna, nec nisi in necessitate amicus. Et dixit: deteriores ex moribus sunt: amicum suspicere, secretum pandere, in quolibet confidere, confabulari in inutili multum, et bona requirere a manibus pravorum. Et dixit: duo sunt non rectificanda consilio, scilicet infelicem proficere et obesse felicem. Et dixit: debilitas quedam est rem imperfectam presentare pro factam. Et dixit: cogitatio est speculum hominis, in quo suam pulcritudinem et turpitudinem coniecturat. Et dixit: ne suspiciosus fueris, quia suspicio inter te et amicorum quemcumque, amorem abscondit. Et dixit: sensus absque doctrina arbor infructifera reputatur. Et dixit: hylarem ostendere vultum, salutare homines in dando recipiendoque, liberalem esse, et parti adversancium non herere, hominem faciunt esse dilectum. AVESIVS dixit: cum deteriorantur tempora, despiciuntur virtutes et decidunt; vilitates vero appreciantur plurimum et procedunt; et divitis timor pauperis timorem excedit. Et dixit: melior est nobilis obitus quam dominatio vilis. Et dixit: modicum mensurate expressum melius est plurimo imoderate expresso. Et melius est hominem de bono exequendo diffidere, quam in suffragii petitione pendere. Et dixit: una ex felicitatibus hominum est bonum habere socium; igitur bonis associeris et eris unus ex eis. Et dixit: non est in mundo iniquius quam facere iniuriam impotenti. Et dixit: si deliqueris, conversus statim peniteas, nec differas in crastinum quod hodie commisisti. Et dixit:[Page 549]

qui te bonum extimat, eum stude veridicum facere, et pro bono habeas qui te pro bono eligit, humilis sit sive altus. Et dixit: non potest multis precipere qui anime sue non precipit. Et dixit: si amorem tuum volueris cum aliquo durabilem esse, eum ad bene agendum informes. Et dixit: si rex egerit iustum et rectum, populi sui principabitur animis; et ei iniustum et iniquum commiserit, ipsum suum regem ostendent exterius, sed ad alium principantem eis ipsorum corda declinant. MACDARGIS fuit remissi coloris, magnarum aurium, magni capitis, parvorum oculorum, gracilis persone, multi silentii, dulcis eloquii et blandi, bonorum dentium; tenebat semper in manu sua virgam, in cuius summitate erat sculpta figura lune. Et dixit

Macdargis: negocium hominis in hoc mundo duabus de causis dirigitur; nam una est scientia, qua dirigitur anima, alia est sollicitudo, qua dirigitur vita. Et dixit: timor dominantis pericula malefactorum abigit. Et dixit: nobilitas generis ad fructificandum scientie suffragatur. Et dixit: divicie bone nobilitant animam, et sue sunt refrenatio voluntatis. Et dixit: hominis intencio scit animam a turpibus cohercere, et suam compescere voluntatem; cum hiis enim bona fama acquiritur, hominum dilectio et finis acceptus. Et dixit: excellens est ille qui spaciosi est animi et cuius sensus superat eius iram. Et dixit: sufficiat tibi sensus bonam ostendens semitam et deviare faciens te a mala. Et dixit: in mundo nichil deterius est quam generositate et doctrina carere. Et dixit: quam laudabile est et honorabile scire, cum bona huius mundi et alterius acquirantur per ipsum! Et dixit: sensatus non delectatur lucrari a rege nisi quod lingua veridica et opere bono acquirit. Et dixit: bonus dominus est qui[Page 550]

velut corpus suum conatur regere populum, et qui non sic onerose opprimit eos quod suum abhominetur dominium, et qui non taliter statuit absolutos, quod despiciere videantur mandata ipsius. Et dixit: graciosus beneficium est priusquam petatur inceptum. Et dixit: tuo sensu animam conare dirigere et tuum scire speculum statue in quo tibi latencia facta exultent. Et dixit: cum inimico pacificari studeas, licet fortitudinis et tue potencie sis securus. Et dixit: sicut hominem querere quod est impossibile obtineri est molestum corpori, sic est molestum sensui conari rectificare ignarum. Et dixit: qui suspicionem diligit, bonam vitam habere non valet. Et dixit: nichil est quod mansurum potius bonum efficiat, quam vitare superbiam. Et dixit: ille est sensu compleciior qui suam cogit voluntatem et qui magis concupiscencias suas elidit. Et dixit: grati ingratus ille decernitur qui contentus non est bona gratificare collata; immo, quod peius est, denegat illa, et ob hoc premia nulla rependit. Et dixit: qui non nisi equum exponit, abilitatus est vincere inimicum.

THESILUS dixit: iocundis eloquiis non frauderis et dulcibus que pro malo feruntur, quia quidam cum dulcibus venena permiscunt; nec verbo turberis aspero pronunciato in bonum quia medicine inducentes salutem plures amare sunt et saporis ingrati. Et dixit: de corporis cibus turpe [nos] est esse sollicitos ut nocumenta vitentur, et in cibus anime, quod non sint pravi et nocivi curiosi non simus. Et dixit: turpe est nautam navem nisi vento propicio committere; et nos ad bona et mala absolute animas nostras exponimus. Et dixit: expedit scienti corpus anime[Page 551]

sicut instrumentum artificii comparari, quod corpori utilius et anime aptius operibus, id requirat, contraria fugiendo. Et dixit: oportet quemcumque grandis consilii ut sic bona plebi commendet, ut de propria: anima turpia abigat; quia consulere cuiquam et ipsum honoribus extollere, sibi vero impendere consilia prava et vilia est iniquum. Et dixit: sicut equitanti est turpe equum non ducere, sed duci ab eo, sic turpe est quod hoc - quo vestimur - corpore seducamur. Et dixit: sicut turpe est corpus immundum et sordidum pannis sinceris et puris esse vestitum, ita turpe est animam pravis esse maculatam operibus et superficietenus corpus esse decorum. Et dixit: tenemur uniuscuiusque membri propriam servare naturam et maxime principalis; quanto magis ergo tenemur tueri anime partes et maxime principalem que dicitur intellectus! Et dixit: sicut adherentes sensibus solum ante presenciam terreni regis non presumunt irasci, sic spiritui adherentes timore regis celesti, ante cuius semper existunt presenciam, commoveri non acceptant. Et dixit ei quidam: quid faciendum est ut non irascatur homo? Respondit: memoretur assidue quare sua non interest ut obediatur ei continue, sed ut aliquando serviat alteri; nec ut imperet aliis semper, sed ut imperetur eidem; et quod Deus circumspicit omnia: quibus ita consideratis, non vexaberis ira, vel modice turberis, si turberis. Et vidit quendam virum multum pinguem, cui dixit: multum conatus es extollere carceris tui murum. Et dixit: cum opportunum fuerit te corripere aliquem, non sic te gerere decet velut si de inimico velles ulcisci; immo te sicut medicus cremans aut findens suaviter morbum periculosum exponas; et si expedit rectificare te ipsum, sic te offeras ut medico se offert infirmus.[Page 552]

GREGORIUS dixit: in Deum statue principia negotiorum tuorum et fines; scire stude omnia, ex quibus elige meliora; mala res est paupertas, sed divicie male, peiores; si benefeceris, assimilari te Deo scias; contine corpus tuum et chatenis alliga ut non prevaleat sensui. Iram compesce; assume scienciam loco candele illustrantis; in vita quod non est, esse non cogites; alienigenam te reputes, et alienigenas honorabis. Cum prospere successerit navi tue, tunc timeas submergendam. Decet grato recipi vultu quidquid a Deo venit; ira bonorum eligibilior est honore pravorum; non divitum frequentes hostia sed prudentum. Res modica que potest invalescere, non modica reputetur. Dedecoris tolera modicum et laudaberis. Dehonestare aliquem etiam in solo verbo, primus error invidie est.

GALIENUS fuit unus ex octo medicis precellentioribus in arte medicine sive phisice qui fuerunt capita sectarum et magistri magistrorum. Et primus ex eis fuit Esculapius primus, a quo processerunt omnes alii antiqui medici; secundus fuit Gorus, tercius Ninus, quartus Parmenides, quintus Plato, sextus Esculapius secundus, septimus Ypocras, octavus Galienus, magnorum medicorum postremus, post quem non fuit alter medicus nisi minor eo aut discens ab eo. Natus vero fuit paulominus ducentis annis post Christum et composuit bene quadringentos libros, inter magnos et parvos; et maiores eorum sunt bene explanati; in sexdecim tamem illorum student volentes comprehendere medicinam. Pater vero ipsius multum fuit attentus in eo plura expendens tam erga magistrorum expensas, quam in avocandis[Page 553]

eis a longe. Galienus itaque natus fuit in Pergamo, civitate Asie, Athenas, Romam et Alexandriam pergens pro adeptione sciencie; medicinam vero didicit a Nino, et a quibusdam aliis magistris geometriam, gramaticam et alias sciencias apprehendit. Didicit etiam in medicina a quadam muliere dicta Cleopatra, a qua didicit multas herbas cognoscere, specialiter valentes contra vicia mulierum. Et pervenit in Egiptum morans in ea per tempus, ut herbas illarum partium cognosceret. Deinde, procedens versus civitatem Sem, obiit in itinere in quadam villa existente iuxta mare viride in confiniis terre Egipti. Et Galienus a tempore puericie obtavit multum scire scienciam demonstrativam, et conabatur multum pro ea, ita quod quando rediebat de domo magistri, incedens per viam cogitabat super hiis que didicerat. Et socii, qui cum eo studebant, increpabant eum dicentes: quare una hora non rides et solaciaris nobiscum? Et ipse non respondebat; et aliquando eis respondebat sic: sicut ridetis, vos delectantes in solaciis, eadem ratione affectans scire negligo que vos facitis et nitor ad sciendum, diligens que facio et abhominans vestra. Et mirabantur eum homines dicentes: quam felix fuit pater istius qui, dives existens et potens, filium obtinuit sic sciencie amatorem! Pater vero eius fuit geometricus, intendens circa agriculturam; et avus eius fuit carpentariorum magister; patris avus fuit terrarum partitor. Et Galienus fuit Rome, in principio regnationis Antonini, illius scilicet[Page 554]

qui regnavit post Adrianum, ubi composuit anothomie librum et multos alios tractatus, Cessi, alterius magistri sui, auditor existens. Et composuit eandem anothomiam ibidem, coram Yvavio. Et Odinus philosophus de viatorum secta, sepe conferebat se ad eum, et etiam Alexander Damacenus qui tunc erat statutus ibidem ad demonstrandam sapienciam iuxta viatorum opiniones. Et dicebatur ibi quod multi libri Galieni cremati fuerant in quadam villa in qua libri conservabantur, inter quos libros fuerant quidam libri de littera Aristotilis scripti, et alii Anexagore, et etiam Andromachi, et quidam liber quem edidit Ruffus, de tyriacis et toxicis. Et reges grecorum vias asperas erant solliciti aplanare, valles replere, montes rumpere et facile [inaccessibile] facere, pontes construere, fortes muros hedificare, et rivos facere unde expediebat. Et multum laborabant inimicos opprimere, et eorum dominio subicere, et conabantur magis ad gubernacionem regnorum quam ad oblectamenta corporum priorum, habentes nichilominus ingentem appetitum ad sciencias et specialiter medicine. Et statuebat quilibet eorum in singulis regionibus homines notos ad inveniendas et colligendas herbas que reperiebantur ibidem; quas inventas, sub sigillo mittebant ut sophisticari non possent; quibus ad regem perventis, rex, ut experirentur, medicis assignabat et, eis expertis[Page 555]

et approbatus, iubebat populo dari ad eorum sublevationem et curam. Fuit Galienus remissi coloris, grandium humerorum, amplarum palmarum, et digitorum longorum, habens capillos bonos, et convenientis stature, et ridentis aspectus, multe locutionis et pauci silentii; et erat multi incessus, habens delectationem in cantu et instrumentis; equitabat multum, cum regibus et dominis libenter conversans. Et cum obiit erat LXXXVII annorum, puer et discipulus XVII annis existens, et sapiens et magister annis LXX. Et dixit Galienus: sciencia insensato non prodest, nec ei qui non utitur prodest sensus. Et dixit: qui servit fideliter remunerationis est dignus. Et dixit: preteritorum est tristitia, sed cogitatio de futuro. Et dixit: melior est appetens, sano appetitu carente. Et dixit: ab operatione bonorum anima tua, ad mala prona, non te seducat. Video plures reges emere ingenti precio scienciam, et artibus iuvenes affluentes; et bestias emere congruas sibi et se ipsos negligere; et sunt huiusmodi condicionis in ignorantia quod nec emerent nec reciperent aliquem empticum, prout ipsi sunt, inscientem. Igitur inter mundana turpius est quod servus caro ematur precio, et dominus non recipiat eum gratis. Olim consueverant haberi medici principantium loco, et vice subiectorum infirmi, eorum non prevaricando mandata; et ex hoc suum medicina consequencebatur profectum; nunc vero contrario modo se habet: nam infirmus precipit, medicus vero velut subiectus applaudit et, infirmorum oblectamentis assentiens, curare non nititur, immo, blandiendo, nocere; quare obsunt et non proficiunt, nisi natura impericie medici et morbi acerbitati resistat. Et dixit: quondam, ad potum aliquibus[Page 556]

convenientibus, ille maioris precii habebatur qui, in respectu complexionum, decencius solebat opera, et cantuum modulaciones respectu virtutum; nunc vero precio non habentur nisi qui vasa sciunt evacuare maiora. Et dixit: qui sua infancia se moderate gubernat, fit semper concupiscenciis moderatus, sed qui non compescit a sui [tenera etate] pravis que ipsius anima [concupiscit], jugiter voluptuosus existit; nam, sicut usu roborantur omnia, sic non utendo languescunt. Et dixit: puerum voluptuosum et effrontem non confidas dirigere, sed voluptuosum tantum et non effrontem, bono rectificare documento confidas. Et dixit: verecundia est in verecundante quedam dubietatis maneries, qua verecundans aliquid quod pro malo gerat se melior, operari veretur. Et dixit: potens est homo suos dirigere cum agnoverit semetipsum; nam excellentis est sapientie hominem sui ipsius habere noticiam, nec ex dilectione quam habet in se ipso fallatur, et bonum se reputet cum non sit; videmus enim quam plures se reputare robustos et liberales cum non sint, et universaliter quasi omnes se sapientiores aliis reputant; et qui sic cogitant, minoris discrecionis existunt. Et dixit: iustus est ille qui potest iniusticiam agere et non agit, et sensatus sive discretus est qui rerum omnium id novit ad quod noscendum virtus humana sufficit. Et dixit: sicut graviter morbidus non desistit, donec vivit, medicinis insistere ut ad salutem perveniat ad quam complete pervenire non potest, sic nos oportet animarum nostrarum saluti agregare salutem, et bonitatem bonitati adiungere, licet nequeamus ingentis et sapientis anime attingere statum. Et dixit: quod non cogitet se discreciorem inter alios homines potest quis percipere in ostensione suorum operum[Page 557]

jugiter aliis, qualiter dirigatur in eis, et sciat quidem quid ipsorum laudabile fuerit et quid non. Et vidit quendam quem reges multum honorabant quia robustus erat, et quesivit quod fuit majus negocium quod exercuerat; et responderunt ei, quia levaverat unum bovem occisum ab altari usque foras; quibus dixit: eodem modo levabat ipsum anima sua, nec tamen anima erat bona.

SAPIENTIUM DICTA sunt hec. Interrogaverunt Prothegum de quodam qui suos capillos procuraverat nigros fieri, qualiter hoc faciebat; respondit: ut non scrutarentur ab eo sapienciam senum. Et dixit Pluies: quanto plus boni habet ignarus, tanto est turpior. Et interrogaverunt Arasten, quando est bonum coire. Respondit: cum volueris tuum debilitare corpus. Interrogaverunt Dimicratem: in quo sapiencior extitisti? Respondit: in eo quod sciivi me parum scire. Et dixit: sapiens contradictor est melior confitente ignaro. Et dixit ei quidam suus discipulus: ignarus concessor esse non potest nec sapiens contradictor. Et captivato Aseo quidam volens eum emere quesivit ab eo

de genere suo. Respondit: non de genere sed de sensu et sciencia perquire. Et captivato Figanee, dixit ei quidam volens eum emere: ad quid es utilis? Respondit: ut fiam fiber. Et alteri captivato dixit emptor quidam: eris bonus si emero te? Respondit: emas me, vel non, bonus existam. Et dixit alius: qui homines verecundatur et se non, despicit semetipsum. Et audiverunt quendam rogare Deum ut eum ab amico eriperet; cui dixerunt: quare ab amico liberari petis et non ab inimico[Page 558]

pocius? Respondit: quia cavere ab inimico valeo, sed ab amico diffido. Et dixerunt Esculapio: quid est verecundia? Respondit: non committere sereto quo redargui potest in publico. Et dixerunt alii: qualia sunt inter mundana maiora? Respondit: sunt tria: insipientiam odire, sapienciam diligere, et discere non pudere. Et dixerunt Arthasamo: quales sunt sciencie quas pueri debent addiscere? Respondit: quibus, senescentibus eis, viliori haberentur precio ignorantes. Et dixerunt Linide: qualiter abhominaris pecuniam? Respondit: quod fortuna surripitur, parcite servatur, et consumitur expendendo, refuto. Et dixerunt Loginoni: quid adeptus es de tua sapiencia? Respondit: ut que agere debeam, gratis agam, non lege cogente. Et dixit alter: insipientis odium obest minus insipientis amore. Quidam comminans Hucaldi dixit: conabor ad te perdendum. Cui respondit: et ego conabor ad tuam iram compescendam. Convenerunt coram quodam rege tres sapientes, unus grecus, alter judeus, et tercius sarracenus persanus; quibus rex ait: dicat quilibet vestrum parabolam aliquam qua notetur uniuscuiusque sapiencia. Et dixit grecus: in eo quod non retuli pocius quam quod dixi, correctio mea valet. Judeus dixit: tale miror exprimentes eloquium cuius inficiatio damna refert, et suppressio emolumentum non prestat. Persanus ait: verbo, verbi pronunciatione, subigor; silencio vero subicitur ipsum mihi. Dixit Explimio discipulis suis: ut diligant vos sic nitamini conversari cum bonis, ut formident cum populis, cum vilibus vero gravamina irrogando. Et interrogaverunt ab eo, quis esset rex melior. Respondit: qui non[Page 559]

est sui voluntati subiectus. Et dixit Assoras: homo dicitur bonus in primo gradu, qui ex se est rerum pulcrarum inventor; in secundo, qui est ab alio informatus. Et rogatus a filiis mutuare pecuniam amico, respondit: pocius volo meum semel erubescere vultum quam [sepe] pallere. Et dixit Amonius: cogitatu mediante sapiens loquitur, ymaginacionem spernens; insipiens ymaginacionem solum attendit, negligens cogitatum. Et dixit Theoprastus: bene morigeratus est ille qui bonitates hominum aperit, et malicias celando recondit. Et vidit Dimicratis quendam male scribentem alium docentem scribere. Cui dixit: quare ipsum lucrari non instruis? Respondit: non sum ad hoc magister. At ille: quare ergo ipsum doces scribere, cum non sis in scribendo magister? Interrogatus Dicomus: quid oportet hominem facere ut non indigeat petere alienum? Respondit: si dives est, decenter suum vivere metiatur, si pauper, se exerceat ad lucrandum. Et dixit Nichomachus: non est doctor discrezione melior, nec predicator laudabilior tempore. Ille vero diligens est sive sollicitus qui alio corripitur, et non alius per eundem. Et dixit Abrakas: existentibus certis causis, persistunt effectus, ideoque amor perseverantia caret absque perseverantia cause sue. Et dixit Thimechus: non receptibilis dicitur sapiens sciencie, non quia sapiencia qua recipiatur aptitudine careat, sed quia recipiens non exhibet semetipsum. Et dixit: sapiencie causas et vires ignarum non doceas quia, velut bestia argentum ferens et aurum ipsorum nobilitatem ignorat quamquam pondera senciatur, sic ignorans nobilitatem doctrine non concipit, set solum pro disciplinatione laborem. Et quesiverunt Athelim: ad quid homines[Page 560]

ex operibus et non ex malorum conceptibus puniuntur? Respondit: quia conceptus anime non nisi a Deo sciuntur. Et dixit Amonius: tria sunt que obsunt regibus: superflua vini potacio, musicorum frequens auditus, amor insolens mulierum; hec enim ipsorum cogitatum offendunt. Et dixit alter: quod factum est non fieri non potest, recte sit actum vel non, sed oblivio ipsius est medicina. Et dixit Arsegavis: quia nescio quandoque referre omitto, eo quod in referendo nescire, quod sciat est signum. Et fecit Pilotocus bovem unum luteum, et in die sacrificii immolavit eum ydolis dicens: nolo sacrificare rem vivam, animatam, mortue rei et inanimate. Et dixit: veritas quelibet

bona est, sed laudabilior veritas est eorum qui ignorantes se dicunt et inscios; nam quem audiveris dicere taliter scias esse discretum, et quem audiveris dicentem se scire, esse scias ignarum. Et dixit: si ex te ad scienciam antiquorum pervenire non poteris, ad legendum libros eorum nitaris; et ne tunc more cecorum incedas qui, iacinctum claudendo manibus, venustatem non apprehendunt ipsius. Et dixit Quidaras: miror qui turpia sermone vituperant eadem operantes, et se verbo in opere pulcro extollunt. Et dixit Dimicrates: patiencia est inexpugnabile castrum, festinancia vero penitudinem adducit, et fructus veritatis est honor. Et dixit Plimos: quam modicus est sciencie immense fructus profectus, ei qui arrongantis nature ac exuberantis voluntatis existit, et exilis sciencia quam parum obest, natura[Page 561]

blanda et voluntate humili existente. Et dixit Thimmeus: qui concipit animo nichil sibi sufficere et de nichilo, est securus mille rethoricis non a suo concepto subduci. Et quesiverunt a Dicomete: quare superbia divites se extollunt, et sapientes non sic? Respondit: quia sapientes Deum cognoscunt coram quo nemo extollitur, divites autem hunc ignorant. Et quesiverunt ab eo: quid melius est, inquirere an sapienciam, an divicias? Respondit: ad huius mundi opus, non ad alterius, divicias inquiramus. Et dixerunt Aristodi: talis de te bona loquitur. Respondit: et ego merebor ei. Cui dixerunt: in qua re? Respondit: ut veritas sit quod profert. Et dixit Oetifon: quem ad modum vas non valet nisi suam capere quantitatem, sed minorem bene recipit, sic hominum corda stabilitam recipere possunt et non ultra sapiencie quantitatem, sed minus sic. Et dixit Oricas: quis potest inter huius mundi fluctuationes recte incedere que, velut unde maris turbide, ad invicem secuntur? Serena vero hominum corda longe inspiciunt securos incessus, quibus naves a naufragio securantur. Et dixit Samaron: perdidit quod habui, quorum loco sum vehementer timorem adeptus. Et dixit Gesus: super eo quod habere optaveris, si sis fortis non consideres, sed si assequi potes attendas eo quod ex floribus apis mel excipit, quod homo non potest. Et dixit Gregorius: apparentis[Page 562]

pulcritudinis rei possunt pictores similem, suis picturis, conficere, et aliquociens pulcriorem, sed conficere similem interiori pulcritudini nemo potest nisi pulcritudinem veram habens. Et vocavit Armesis rex fratres suos quibus dixit: si me reputaveritis ut regem, vos reputo fratres, et si me ut fratrem tenueritis, ut rex vobis existam. Et dixit Milicius: mirari cogor eos qui, noctibus vigilantes, transitibus asperis, peragrant maris undas transfretando molestas, et terram pertingentes extraneam demorantur in ea lucri officio cuius hereditarium ignorant successorem, nec commendabilem sapienciam adipisci nituntur que absque periculo potest acquiri; et adipiscentes, eo quod ipsa sit heres eorum, ob hoc nichil amittunt; et ob hoc dicitur non fuisse talis extinctus cuius est sciencia non extincta. Et dixit Perigonas: talium me contentum non reputo, qui sapienciam docent illos qui suum vix transivere per hostium; quia velut barbari intelligere non possunt arabicum, sic insipiens non potest scienciam capere sapientis; convenit namque sapienti suam honorare sapienciam et eam non perdere erga illos qui ipsam perdicionem reputant et laborem. Nam sapiencia non dehonestatur ab eo qui non est receptivus eiusdem, sed ab illo qui inter ignaros illam distribuit, de causis rerum distinguere nescientes. Et dixit Quidam: velut a cadavere[Page 563]

fetor quidam procedens astanciunt inficit nares, sic ab insipientibus procedencia verba audientibus fetent. Et quemadmodum suum fetorem cadaver non percipit, sic nec insipientes turpitudinem verborum. Et dixit alter: felices censentur sapientes quia pauci. Et dixit: decet sapientem, quod resideat cordi suo et cuius est conscius alios instruere; quia docere alios quod ipse non novit est fedum; et quod sibi non vult, pro aliis non acceptet. Et quesiverunt ab alio medicinam qua possent vinum odire. Et respondit: quid ebriis vinum inferat attendatur, et cavebitur a potu. Et dixit Eugenius: vidi homines adesse luminaria, quando volunt comedere, ut videant et cernant cibaria immittenda in ventrem, quanquam non remaneant ibidem; nec sic penes animam faciunt ut, cibos ministrando eidem, scilicet doctrinam bonam, assistant luminaria, id est sensus rationis et intellectus, ad distinguendum eosdem anime cibos, qui peremnes

sunt, ab ignorantia et a peccatis. Et dixit Ettiton: mors, nisi sapientibus, cunctis obest; nec est aliquid cogitatum mortis auferens, nisi sapientie complementum. Et dixerunt Soloni: ad quid vis hic morari ex quo certus es honorari post mortem? Respondit: ego sum velut confinii regni custos; qui, si moram contraxero, dives ero; si rediero, cum honore redibo. Cui dixerunt: explana hec nobis. Respondit: demorator est sapientis anima, et frontieria sive regnum, eius est corpus; et inimici sunt adversarii anime, velut ira et concupiscentia; et divicie sunt refrenaciones anime; et honor est alacritas quam in alio seculo[Page 564]

quis habebit. Et dixit: si sapientie laborem ob aliud commodum non pateret nisi ut igneum carcerem evitarem, ob hoc solum sustinerem eundem. Et dixit Adrianus: si non haberem ob aliud sapientie laborem, nisi propter mortis timorem, solum propterea tolerarem. Et dixit Herimos: maius quod in sapientia reperi commodum, est quod ex diversis cogitationibus unum composui cogitatum. Et dixit Orisanus: ex quo hominem esse in mundo absque cogitatu est impossibile, laudabilius est perpetuorum cogitatum habere. Et dixit Quirus: ait quidam bonum esse homines unius condicionis existere; sed hoc mundo non expediret, quia quilibet preceptor esse vellet, et nemo obediens, et sic cui preciperetur abesset; verum, bene attendens, quod unus sit preceptor et [alius] obediens, plene discernit conveniens esse. Et dixit Dimicrates: cum in terram pervenis alienam, sis anime tue investigator, silencio attendens existenciam sapientum terre illius, scrutando et ponderando sermones ipsorum tue discrecionis pondere, et si melius sis, doce eos; si minus, discas ab eis. Et dixit Compaustis: discretus peccuniarum exactor blandiendo melius colligit quam alter in superbia et furore; quia sanguisuga plus trahit sanguinis suavitate[Page 565]

atque silencio, quam infestus muscilio cum pungentis aculei asperitate et voce. Et dixit alter: premuniri festines ingenio priusquam res aut negocium exigat, quia post rerum eventus deficiunt ingenia et sapientie confunduntur. Et dixit Philippus, Pictagore discipulus: infelix est qui deffensore carentem offendit. Et dixit Bilecus: de melioribus rebus mundi est, superfluitate ommissa, medium sequi; nam radix vite est metiri expensas, et vastatio est clavis paupertatis, et omnium habere gratias res est impossibilis. Non irascaris adversus veritatis prolatorem; fac animam tuam patientiam assuescere, et exinde bene tibi continget. Et dixit alter: malus dominus ebrio similatur qui, sua ebrietate, vitans decora, turpibus inheret et fedis; ebrietate vero cessante, advertit quantum offendit et sibi condolet vehementer. Et dixit: decet regem discretum non decipi rebus se sibi offerentibus oportune, et ob inimicorum paucitatem de sua non curare milicia ei stipendia subtrahendo, non credens indigere eisdem. Et dixerunt ei: quare te odientes sunt plures? Respondit: quia hominum oblectamenta detestor. Cui dixerunt: qualiter hoc facis? Respondit: quia hominum sum expertus. Et dixit Eclunio cuidam pictori quendam bancum pingenti: pulcras depinge figuras, eo quod homines surgentes a banco, dum intuentur figurarum pulcritudinem, non recedunt induti statim vestibus oportunis, quare nec frigidus aer [eis] nocebit in[Page 566]

yeme, nec calidus in etate. Et dixit Bastacius: dillicile est longevum esse felicem, cum multa contingant adversa, eo quod tempus sic competit voluptuose viventi. Et dixit Molcius: non est dives cum quo divicie parum durant, nec qui potest eis privari, nec cui per tempora longa subsistunt, sed vere divicie sunt que peremniter durant. Et dixit Brucalicus: cupidus nullo quiescit tempore, et nunquam ditatur avarus. Et dixit Philippus, rex Macedonum, cum lucratus est civitatem Atheniensium, ei consulentibus ut cremaret eandem: inconveniens videtur nobis agere ut victi reputemur, existendo victores. Et dixit Arsides: lingua jurare potest mendacia, sensus vero minime; igitur cum sensu ut lingua concordet nitaris. Et dixit: quid tecum habes, a Deo non queras, quia quod sufficit quisquam habet; sed queras ut quod habes tibi sufficiat. Et dixit: quia cogitat vulgus Deum esse in altari solummodo, illic tantum pro suis necessitatibus Deum orat; sapientes vero ipsum et orant et sciunt ubique. Et dixit Pictagoras: qui non tenet aliam vitam esse nisi naturalem, est infelix, similis umbre que facile tollitur, et plante que ilico desicatur, et bestialiter vivit. Set qui novit aliam esse vitam spiritualem,

que mortalis non est sed perpetua, hic gubernat se
atque munit operibus bonis, iuxta Dei voluntatem. Et dixit: niti
debemus cauti esse in operibus et nichil operari repente, sed[Page 567]

cum previsionem magnam. Et dixit: si volueris excedere tuum inimicum,
non voces eum stultum, mendosum et scandalizatorem,
sed ad opposita obtinenda nitaris, ut sis circumspectus, veridicus,
pius et rectus; et si forsan impropere ei vicia aliqua, sis elongatus
ab illis, ne similis illi cui dictum est: quare plenus
es pustulis, medicus existens? Et dixit: qui laudari voluerit ex
suis operibus, convenit ei veridicum habere amicum qui referat
veritatem, aut inimicum cuius inficiationes formidet: per
istos enim a peccando compescitur. Et dixit: non decet aliquem
asperis verbis castigare amicum, sed humilibus et blandimentis
admixtis. Et dixit: amicum observa, satagens ei in suis cogitationibus
suffragari; et advertas quantum perdideris si amittas
eundem; nam si domus tue paries rueret, non perdes
nisi parietem; si amicum perdideris, magnum damnum assequeris
quia inimicum de amico facis. Et dixit: cum ire fervor accenditur,
homo efficitur velut domus igne succensa in qua,
propter fumum et strepitum ignis, nec oculus plene videre potest,
nec auris audire. Et sicut navis, vento impulsa fortissimo,
bene gubernari non potest, ita anima ira commota et provocationibus
laccessita, suasiones et inductiones refutat quibus valeat
mitigari; nec modica spernenda est ira, que excandescere
potest in magnam sicut scintilla in flammam; multociens autem
ira silencio compescitur, sicut ignis exstinguitur materia subtracta
eidem. Et quemadmodum ebrius, quamdiu ebrius est,[Page 568]

in se sui turpitudinem non agnoscit sed, cessante morbo suo, si
tunc alium ebrium videat, potest se cognoscere facilius qualis
tunc fuerit, sic excessum iracundie proprie videt et prospicit aliquis
melius in alio irato quam in se. Et velut extenuata macies
faciei, narium pallor, et oculorum contractio versus interius,
sunt signa mortis infirmi, sic et iam dicta, in ira, mortis sensus
seu discrecionis sunt signa. Et dixit: invenimus mulieres citius
quam viros irasci, et infirmos quam sanos, senesque quam
iuvenes; propter que perpendere valemus iram ex debilitate
anime pervenire. Et disputavit quidam cum servo, et dixit:
sileas, o fili servi! Qui respondit: ego minus valeo mei generis
causa, tu vero occasione tue anime debilis et infirme, minus etiam
vales. Et dixit quidam sapiens cuius nomen ignoramus: dicas
quod convenit, etiam si audias quod non decet. Et dixit alius: non
est aliquid quo doleat tantum amicus, quantum ostendere ut eum
non reputes inimicum. Et corripuit quendam dicens: taliter cum
hominibus converseris quod, quando morieris, lugeant, et, cum
absens ab eis fueris, ipsi presenciam tuam petant. Et plorabat quidam,
nato sibi filio; qui, cum quereretur ab eo qualiter hoc faceret,
respondit: quia hodie obiit puer iste. Et dixerunt cuidam alii:
quis est salvus ab odio hominum? Respondit: qui non prodest
nec obest eis, eo quod maleficientem boni odiunt, beneficientem
vero mali. Et dixit alter: forcius est quod consuetudo quam
quod natura requirit. Et pecierunt a quodam: quo anime decus
amittitur? Respondit: cum inquitur ob lucra mundana. Et dixit:[Page 569]

reputes homines velut ignem, quibus non nisi cum necesse fuerit
velis adiungi; ad quem ignem dum pro eo sumendo perveneris,
non aproximes ei nisi discrete et caute. Et dixit: si cum sapiente
sedeas, sis amicus vel inimicus, eo quod sensus sensum
corroborat. Et dixit alter: duplex est continencia: una est aliquem
facere quod perhorret, sciens recte que expedierit agere;
alia est continere ab hiis que delectant, que continencia pocior
iudicatur. Et dixit alter: non loquaris nisi de eo quod proficit,
nec comedas nisi que tuum delectant animum, nec petas nisi
que consequi possibile fuerit, nec doleas de amissis, nec desperes
super eo quo non poteris excusari, nec donum cupidi concupiscas;
et quod didicisti conservas, et quod scis doceas; et
de eo quod habes impendas, et bene te de tua pecunia contineas,
priusquam alter se contineat de eadem; et si cecideris
in gravem eventum, sustineas patienter; scribi facias in tuo sigillo:
boni et mali omnia finem habent; et ipsum singulis
horis spectes. Et dixit alter: una ex rebus que facit hominem
errare in suo iudicio est abbreviatio cogitatus. Et unus redarguit
quendam sapientem; cui sapiens: quod ex viciis meis ignoras
maius est quam quod nosti. Dixerunt alii: quare nobiscum non

loqueris? Respondit: profectus quem quis consequitur audiendo sui ipsius est proprius, sed profectus in loquendo alterius est. Et dixerunt alii: cordis tui cogitatum abscide. Qui respondit: meus saluber est cogitatus. Et dixerunt alteri: ad quid prodest bonus filius? Respondit: patrem ad vivendum delectat, ne mortis habeas cogitatum. Et dixerunt alii: quare non vis habere filium? Respondit: immenso filiationis amore filium habere[Page 570]

non nitor. Et dixerunt alii terram alienam adire volenti: forte morieris in terra illa. Respondit: eadem mors in terra aliena et domi. Et dixerunt alteri: qualis est res non bona, licet sit vera? Et respondit: hominem laudare se ipsum; mentiri autem bonum est ad inimicos pacificandum; veritas vero mala est obloqui de absente. Et interrogaverunt: quando est bonum donare? Respondit: bonum donare suo loco. Et quando melior est indignatio quam patientia? Respondit: in malo quod contingit amico. Et quando melius est tacere quam loqui? Respondit: in lite. Et dixerunt alii: que rerum est delectabilior? Respondit: que non potest diu in eodem subsistere statu. Et dixit Bracalicos: qui mala toleraverit sapienter indigne contingencia sibi, et sponte a malis asuetis abstinuerit, et semper obedierit Deo qui sue substantie et generacionis est radix, sapiens erit. Et dixit: oportet illum qui ad aliquid nititur et non assequitur illud, quod redeat iterato ad illud, eo quod qui uno tempore impedit, illud dirigit consequenti. Et dixit: decet sapientem inimici adulatoriis vel dulcibus verbis non decipi, eo quod pavo decorem pennarum serpentem comedit intuentem. Et dixit: convenit sapienti aliquos ex pravis habere amicos, ut adversus inimicos ei assistant, eo quod adversus acetum non nisi muscilioes prevalent generati ab eo, nec ferrum scinditur nisi ferro. Et vidit Theoperastis iuvenem quendam tacitum multum, cui dixit: si defectu sciencie taceas es facetus, si vero[Page 571]

sapiens es, non recte agis. Et dixit: cum aliquem odieris, non abhorreas totam ipsius familiam, immo ad amorem alicuius ex eis innitaris, quo minuetur nocumentum ipsius. Et dixerunt cuidam medico: talis emit quemdam librum medicinalem et modicum studet in eo. Qui respondit: libri sunt discencium memorialia, et non discencium sunt cathene. Et dixit alter: decem modis servitur Deo, ita scilicet: gracias age si aliquid impenditur tibi, si male habueris, sustine pacienter; si loqueris, loquere veritatem; quid promiseris, perface; si iudicaveris, recte iudica; mensuram habeas; si que potes, benefacias priusquam requiraris; amicum honora; indulgeas amici et inimici errori; non nisi quod vis amico desideres. Et dixit Assodex: fortuna et inquisitio sunt sicut corpus et anima alterutrum indigentes, quia confidens sibi sufficere absque inquisitione piger est; inquisitio vero absque fortuna diu subsistere non valebit. Et improperavit quidam Aseo dicens: quare mutuasti tuam pecuniam malo viro? Respondit: non mutuavi malo sed indigenti. Et dixit: decet nos honorare bonos in vita et pro eis orare post mortem. Et dixit: plurimi labores delectaciones abscidunt. Et dixerunt ei: a quo tempore apparuit in te sapiencia? Respondit: ex quo incepi despiciere memetipsum. Et audivit quendam recitatem quosdam sermones impossibiles; cui dixit: que refers, si alius tibi retulit, ei non credas, quod si vidisse te dicis, non credo tibi. Et dixit cuidam loquaci: quare ab eodem a quo loqui, non tacere didicisti? Et dixit: verecundia ad venustatem se habet, sicut[Page 572]

introitus se habet ad villam. Et dixit Aristophanus: victoria verbalis non est victoria, sed victoria vera est opere vincere et non verbo. Et dixit Anaxagoras: sicut mors non competit ei qui bene vivit, sic male viventi vita non competit. Sapiencia est decoratio intellectus; lingua est prolatio veritatis; cor est bona voluntas; manus sunt pietas; pedes sunt inquirere sapientes; dominium vero, iusticia; regnatio est mensura; ensis est gratia; pax, balista; sagitta, salvatio; milicia consultare prudentes; decoratio, fortitudo; thesaurus, disciplina; societas, bonorum dilectio; desiderium, vitare peccata et Deum sequi. Et dixit cuidam sapienti quandam habitantem villam que bannum incurrerat, et nullam habenti exinde curam: quare de banno ville non doles? Respondit: quia si talia viderem in somniis, non moverer ut excitarer propterea; et eodem modo non moveor ex hiis que video, sensu meo meditando veridice quod sit expergefatio quedam. Et dixit alter: amici sunt nobiles quidam

affectus; oportet igitur niti ad conservacionem ipsorum, et ad acquisitionem unius per alterum, velut familiaris columbe industria alie [lucri fiunt]. Et dixit alter: amor est infermitas anime et amicus est curator ipsius, et mansuetudo est fructus anime, et fidelitas est vita eiusdem. Et dixit rex cuidam sapienti:[Page 573]

quem reputas bonum facere iudicem? Respondit: qui adulationibus non movetur, et quem mali causatores non evertunt, et qui non decipitur etiam a discretis. Et dixit alter: scandalizatores peiores sunt latronibus, nam latrones privant pecuniam, scandalizatores amorem. Et dixit alter: honor quicumque sapientia non firmatur, in dedecus convertetur. Et dixit [alter]: inquirere concupiscencias affert laborem. Et dixit alter: cum aspide surda melius est conversari quam cum muliere maligna. Et dixit alter: non aperias inimiciciam tuam inimico tuo quia, si sensatus est, timere oportet ingenia sua, et suam maliciam si ignarus. Et dixit alter: si alicui predicaveris peccatori, sis mansuetus eidem ne cum eo altercari contingat. Et quidam sapiens quendam audivit virum dicentem: quadraginta sunt anni quod sapientiam acquisivi. Cui sapiens: et ego vidi quendam annis quadraginta mercantem, et adhuc unius diei non obtinet oportuna. Et dixit alter: liberalior mundi homo est qui pro multo reputat quod conceditur eidem, et pro minimo quod concedit et ut quicumque, sit dives vel pauper, ipse eius quod habet reputat se contentum. Et dixit alter: honora faciem tuam, et non dehonores in petendo aliquid quo honore nudata reddatur. Et dixit alter: quemadmodum urina ferrum corrodit et destruit, sic invidie invidum, nec cui invidetur offendit. Et dixit: parcissimus hominum est qui, quod denegatur ei, plus impetit. Et dixit alter: discreciore inter homines est qui potius in se prospicit quam pro se ipso. Et dixit alter: sicut carta iam scripta scribi non potest amplius, nisi prima scriptura deleta, sic res[Page 574]

nobiles addisci non possunt nisi prius vilia deleantur. Et dixit: sicut homo non potest uno celum oculo et alio terram intueri, sic suum sensum elevare non potest ad nobilia et vilia invicem capienda. Et dixit alter: tuam vitam non expendas in vanum, et inutiliter non labores. Et dixit alter: amoris radix est amicum equari amico, et amor quicumque si absque equalitate fuerit cito sedatur. Et dixit: populum regem timere melius est quam e contra; et regi obedire in duobus consistit: in timore, scilicet, et amore. Et dixerunt alteri: quando perficitur sensus hominis? Respondit: cum locutio non excedit. Et dixit: qui [non] munitur adversus contingentes casus, illi se muniunt contra eum. Et dixit alter: contra liberalem invidus irascitur, et eius quod non est suum avarus. Et dixit alter: non potest esse lucrifactio cum iustificatione, nec cum gulositate salus, nec cum deceptione amicitia, nec cum mala disciplinatione nobilitas, nec cum superbia amor, nec cum necessitate iusticia, nec cum invidia cordis quies, nec cum vindicta sensus sive discrecio, nec processus absque consilio. Et dixit: non emittas magnas voces cum loqueris, nec per inimicum frauderis, nec in amore amici tui esto superfluus, nec associeris ei qui te bene non dirigit, nec inobedias ei qui te a deceptione precavit, et malas consuetudines vites eo quod amicus redarguet et inimicus conveniet te pro eis. Et dixit alter: non confidas de insipiente ob parentelam quam habes cum eo, nec propter vicinitatem vel amorem ipsius, quia sic est qui vicinatur eidem, velut igni vicinus esset et pericula timeret ipsius. Et dixit alter: qui dulcia impendit eloquia et opera fellea, ipse maximus est inimicus. Et dixit alter:[Page 575]

sapientes durant mundo durante, quorum cum persone perduntur, eorum ymagines in cordibus perseverant. Et dixit alter: fines rerum scire, ad bene operandum auxiliatur; et si amari non poteris, sis amator. Et dixit alter: res non absciditur ipsius causa non dempta. Et dixit alter: meditatur ignarus et simplex quod recte non agat Deus nisi in hiis que sibi concedit ex hiis que diligit et cupit; vult igitur semper quod Dei sapientia in dando, ei que cupit, consistat, non cogitans in hiis que meruerit. Et dixit alter: nitamini conferre hominibus, quia benefacere egenis est auxiliari et servire Deo. Et dixit alter: melius est tacere quam contrariari ignaro, et melior est inimicicia quam amicitia malorum, et aspera vita benefaciendo est melior quam male faciendo mitis et blanda; et nullam habere famam est melius quam malam habere; parcorum divitiis melius est paupertas;

et vilis absque peccatis est melior divite honerato ab eis; et non cognoscens regem iniustum est melior quam qui est familiaris secretarius eiusdem; et captivus est melior absoluto incedente cum malis; et sensatus parum fortunatus est melior fatuo magnifice fortunato. Et dixit alter: sapiencia membra habet: nam caput mansionem continet, et cerebrum eius causas rerum cognoscere est; oculus eius ab invidia elongari; aures sunt.[Page 576]

[Sicut] super hiis que comedit et bibit sanus non curatur, et infirmus impeditur eisdem, sic bonus pravo et laudabili tempore se gubernat non curans dispositiones eorum, quod facere malus nescit. Et dixit: si alicui [fama] dederis, non est liberalitas quia non nisi ad tuum agis profectum. Et dixit: malum cibum secum defert in alium mundum qui infert iniuriam servis Dei. Et dixit alter: iocari cum hominibus inepte superbia est, vel errore contingit. Et dixit alter: [quinque] res quandoque haberi est utile: in comedendo et bibendo mensuram, ad benefaciendum inniti, amicos acquirere, varium non esse, nec esse valde nec ridenter nec tristem. Et dixit alter: cui dies hodiernus non est hesterno melior aut est eidem equalis, amissioni deditus est et illaudabilis vite. Et conquestus est quidam cuidam sapienti de tempore. Cui sapiens respondit: nullus est cui non magis aut minus conferat tempus, non advertens exigenciam meritorum; sis ergo in quo es statu contentus quia, si non gratus, patiere coactus. Et respondit alter hoc modo: non poteris que vis assequi quousque sustinueris quod non vis, et non poteris ab eo quod non vis evadere, donec non assequendo plura de hiis que desideras, sustineas pacienter. Et dixit alter: si tua senuerit facies, non invenies renovantem. Et dixit alter: homines erunt infra manus tuas donec tui fiduciam habebunt. Et dixit alter: tui generis clades paupertas est. Et dixerunt cuidam sapienti: quare filium habere non vis? Respondit: in rectificandum[Page 577]

corpus meum et animam sum fatigatus plurimum; qualiter igitur alium ad rectificandum habere conabor? Et dixit alter: quomodo animam meam dilexero, Deo inobedientem, et quomodo ipsam non diligam altissimum cognoscentem? Et dixit alter: quomodo letor et non obedio; et quomodo doleo, te, domine, cognoscens? Et dixerunt alii: que res finem habet peiorem? Respondit: regraciari inniti. Et dixerunt alii: quid est quod magis penitet? Respondit: sapiens in hora mortis qui non est iuxta suam sapienciam operatus, et in mundo isto qui benefacit ingrato. Et dixerunt alii: quid legem decorat? Respondit: veritas. Quid veritatem venustat? Respondit: sensus. Quid sensum? Lingue custodia. Et quid linguam conservat? Patiencia. Quid pacienciam? Dei timor. Quid Dei timorem? Loqui de morte semper et servitutem agnoscere. Et dixerunt alii: quid est initium veritatis? Respondit: peccatum non committere etiam parvum. Et quid est medium veritatis? Respondit: amor Dei conceptus in corde; et finis veritatis quod in corde non habeas nisi Dei cogitatum. Et dixit alius: mundum querens non assequitur finem eo quod nullum contingint finem quem alius finis non assequatur. Et dixit alter: res moderata est qua minor non sufficit nec ipsa, si non major habeatur, offendit. Et dixit alter: vinum superfluum facit corpus infirmari, sensum minui, iram irritat et sapiencie contrariatur; moderatum vero cor confortat, aufert tristitiam, colorem vividum reddit, cibos digerit. Et dixit sapiens unus filio suo: ad querendam sapienciam conare, quia maius commodum quod inde captabis est quod nunquam solitarius eris. Et dixit alter: sapiens, licet vilis sit, procer est, et licet alienigena percuncatus, et quamvis pauper sit, homines indigent eodem. Et dixit alter: non acquiritur sciencia cum quiete, et labores nemo tolerat si non paciencia substinebit.[Page 578]

Et dixit alter: qui, ubi non vult, in sua non quiescit parvitate, ubi vult, in sua magnitudine non quiescit. Et dixit alter: non sapienciam discas ad pompam, nec discere ob verecundiam omittas, et pigricia non utaris. Et dixit alter: est homo sapiens, eodem sapienciam inquirente, et insipiens cum, non inquirens, se cogitat sapientem. Et dixit alter: tuam statue sapienciam loco spiritus, et loco corporis tuam potenciam. Et dixit alter: quod rectum inveneris doce alios, alioquin similis eris ei qui encenio presentato sibi non utitur, nec alios patitur uti, sed potius corrumpi permittit. Et dixit alter: homo honorat se ipsum notum sibi et certum dicendo; et qui dicit quod non

novit, de eo quod novit suspectus habetur. Et dixit alter: dicendo multociens, error inscii minuitur. Et dixit alter: lingua discreti in corde ipsius, et cor fatui est in lingue extremo. Et dixit alter: tuam naturam semper laudabili consuetudine assuescas; et enim iam vidimus multos agnoscentes bonam viam et salubrem, qui tamen in ea incedere non poterant, eo quod antiqua consuetudo mala vicerat ipsos. Et dixit alter: oportet quemlibet assidue scrutari opera sua et scire quid homines et specialiter conversantes cum eodem referent de se; in quo videlicet eum laudant, in quove vituperant eundem, ut sic sciat viam semper ingredi placidam et relinquere displicentem. Et dixit alter: est ingratus alii qui sui plurimum est contentus; et qui se ipsum redarguit, alterius correctione non indiget; et qui[Page 579]

se ipsum predicat, predicatione non corripitur aliorum. Et dixit alter: si volueris sensu tuo tuam vincere voluntatem, tua te concupiscencia non gubernes, et finem observes. Et dixit alter: verecundia est quedam passio de re commissa indebite in presencia se maioris; et hec moralitas non est nisi in illo qui animam habet perspicuam rerum pulcrarum. Et dixit: melior est qui se humiliat dum sublimis existit, et qui mundum abhorret validus existens, et qui se moderatur dum est potens. Et quesiverunt ab uno sapiente ut distingueret opus huius mundi ab alio. Respondit: iste mundus est somnus quidam, et alter est vigilia; medium inter eos est mors; nos autem vanitates somnorum sumus. Et dixerunt cuidam sapienti: quid lucraris per sapienciam tuam? Respondit: sapiencia rationem firmavit et, instanciam auferens, dubitationem solvit. Et dixit alter: miror cordis quod diligit mundum istum, volens semper in eo morari, cum cotidie visibiliter abbrevietur vita nostra. Et dixit alter: vir cordatus est ille quem delectant magis aspera rectificantis eloquia, quam adulatoria fraudatoris. Et dixit alter: in affligendo naturam et in permittendo elongari pilos non est Dei servitium, sed in frenando naturam a vilium concupiscenciarum excessu. Et dixit alter: si volueris quod sint magne bonitates tue in oculis hominum, modice sint in tuis. Et dixit alter: si scias te esse bonum, quod alii de te senciant non nocebit. Et dixit alter: non coneris in acquisitione rei quam ab alio demi noscere est, et id in quo dubietas incumbit omite. Et dixit alter: bene loqui quam bene tacere melius est. Et dixit alter: associatus sum divitibus et dolui quia eorum vestes et ornatus meis prevalebant, et adiunxi me pauperibus et quievi. Et dixit alter: velut ferrum usui non expositum operitur rubigine et paulatim consumitur,[Page 580]

sic sensus, dum vacat, ignorancia vincitur et ducitur ad deffectum; et sicut ignis vento augetur, sic negocia bonorum dilucidant bonitates. Et dixit alter: sicut olla fervens, invalescente igne, liquorem effundit, sic et concupiscencia iuventutis accensa, recto egreditur; et quemadmodum olla, aque frigide infusione defervet, sic supprimitur subtili predicatione iuventus; et velut sagitta feriens lapidem, adversus balistarium retrocedit, sic et mala verba, cum de bono feruntur, non applicantur eidem, sed ad referentem, sine dubio, reflectuntur. Et dixit alter: quemadmodum visus debilitatus non apprehendit sua sub propria figura, sensata similiter anima, si non munda et sincera fuerit ab impossilibus oppositionibus et mendosis. Et dixit alter: sicut conceptus existens in utero, in ortu nisi dolens venire non audet, et, post ortum, huius mundi sentitis deliciis, eo letatur et gaudet, sic et homines hunc mundum diligentes exire nolunt; et tantum post exitum, dum ad alium perveniunt melioracionem cognoscunt et gaudent. Et dixit alter: sicut infirmo de resumenda salute habenti fiduciam, medicus assistit, eidem auferendo nociva et iuvativa ministrando; et, desperato eodem, medicus omittit eundem, assumere que voluerit cuncta permittens, eodem modo et hominem boni propositi existentem in bene operando gubernat Deus. Et cum propositum malum habet, concupiscencias eundem imitari permittit, donec ad malum perveniat finem. Et dixit alter: vasa cretea sono percussa si sint integra vel fracta probantur; sic et homo, luto confectus, sono loquere probatur, si recte aut erranter incedit. Et dixit alter: sicut in sapiente sapientie bonitas atque fructus cotidie crescit eiusque utilitas post[Page 581]

mortem completur, sic insipientis malicia cotidie augmentatur, et eius retributio post mortem completur. Et dixit alter: si sensatum instruxeris, regraciabitur tibi; si insipientem, dehonestaberis

ab eodem. Et dixit alter: quod habet amicus tempore necessitatis est tuum et ipsemet tempore adversitatis est tuus. Et dixit alter: capitale sensati patiencia est, superbia vero stulti capitale est. Et dixit alter: qui in alia operibus piger est, alterius lucra cupit. Et dixit alter: qui aliquos excusat, honorat eosdem. Et dixit alter: qui rem bis investigat non penitet, nam prima investigatio voluntaria est, et cum discrezione secunda. Et dixit: sapiencia est lumen sensus; sensum igitur illuminare coneris. Et dixit alter: maiorem dierum honora, quia prius te Deum agnovit, et miserere minoris quia mundo velocius te fraudatur. Et dixit alter: honor non consurgit ex ira, eum excusacionis angustia. Et dixit alter: grandis eventus est inimicorum victoria, sed pocior est egere eisdem; et vehementior lis est hominem contendere cum iracundia sua. Et dixit alter: veritas est Dei legatus quem Deus ad servos suos transmittit; non igitur absque operis executione remittenda est. Et dixit alter: adversitatem pati est adversitas inferentis. Et dixit alter: felix est ille qui Deum agnoscit et mandata eius observat. Et dixit alter: qui sua nmultiplicat temporalia lucra, minuit sempiterna. Et dixit alter: de illo qui nocet sibi sua sequendo desideria, non confidas, sciendo aut ignorando illa esse nociva; quia qui taliter sibi obest, est de eo diffidendum omnino. Et dixit alter: expedit sapientibus, cum insipientes viderint, eorum abhominari opera,[Page 582]

et nolle associari eisdem; tamen animarum miserantur ipsorum. Et dixit alter: Deum timentes et credentes in eum, in nullo delectantur nisi in splendenti contemplacione magnitudinis regni Dei, quietem aliam non habentes nisi cum celum et stellas aspiciunt ipsius, et in meditando nobilem Dei potenciam; unde a turpi statu mutantur ad pulcrum, nec aliquis prepedire eos poterit quin perveniant ad perpetuam quietem illi quorum concupiscencie munde sunt, sublimes et clare, omni obscuritate carentes. Et dixit alter: laudabiliora opera sunt quibus Dei beneplacitis obeditur; et opus corporis cum opere cordis iunctum laudabilius est quam opus cordis tantum. Et dixit alter: malos velut cadavera fetida reputa vel mortale venenum, aut sicut leones vel serpentes, et adhuc peiores sunt; et sicut animal bono homine melius terra non continet, sic peius non continet malo viro. Et dixit alter: cum oculus concupiscencias intuetur, cor in eligendo bono cecatur. Et dixit alter: perverse iudicare, amici demit amorem, et parere facit inimicicia inimici. Et dixit alter: qui eo, quod non censetur ab aliis, statu se statuit, anxietur non modicum et oditur a multis. Et dixit alter: qui vult quietam ducere vitam, quattuor occasionibus animam suam expediat; prima est ut non sollicitetur nec doleat si is quem non vult vivere vivat; secunda, si moritur quem mori nolebat; tertia si non consequitur quod consequi desiderat; quarta, si illos, qui minus eo valent, fortuna magis exaltat. Et dixit alter: qui contentus est eo quod sibi concessit dominus dives est; et qui non corripitur errat; et qui suas imitatur malicias inverecundus est; et qui complere Dei bene placitum conatur, corroborat eum Deus. Et dixit alter: in adipiscendis occasionibus eterne vite conare, a magnis et parvis mortalibus causis abstinens; et ex tunc timere non expedit nisi Deum. Et dixit[Page 583]

alter: maius quo potest quisquam ab impedimentis excludi est modicum cum hominibus conversari. Et dixit alter: quam preciosa res est cordis mundities a sordiciis viciorum, et quam bonum est speculum habenti eandem! Et quam laudabilis est ei solaciator qui, nisi quod convenit, facere non permittit! Et dixit alter: expedit bonam habenti animam quod non reputet quietem esse nisi cogitatus commendabilis, quem imitando ipsius bonitas invalescit. Et dixit alter: qui Deum vere timet, mori pocius desiderat quam peccare, nec alium quemque timet; et qui ipsum vere diligit, est impedimentis quibuslibet expeditus. Et dixit alter: sapiens, cum solus moratur, plurimum solacii habet secum tam de die quam de nocte. Et dixit alter: qui concupiscencias viles non admittit, et Deum orare die ac nocte laborat et usque ad obitum perseverat, in hoc bene vivit et bene moritur, a doloribus semper exclusus, eo quod dolorem non sustinent nisi huius mundi delectationem habentes. Et dixit alter: rex malus est sicut cadaver, omnes suo fetore molestans; rex vero bonus est similis rivo aque fluentis et clare, cuius profectum singuli sapiunt. Et dixit alter: non potest quisquam ad sui pervenire noticiam nisi cum exercicio magno; se autem cognito,

bene agere nitetur tempore vite sue. Et querentes huius mundi quietem [suo] corpori, nedum animam non cognoscunt. Et[Page 584]

dixit alter: sapientes non sunt contenti tantum sibi prodesse, set aliis proficere cupiunt sicut sibi; insipientes vero non solum impediunt se ipsos, sed et alios impedire conantur. Et dixit alter: sapiens alium timens quam Deum, excusam non habet. Et dixit alter: nil gravius sapienti quam amicum perdere sapientem in fide; quia si de fide consulere velit ipsum, is fideliter respondit; et si de mundanis querat, ipsum reperit pium. Et dixit alter insipiens pro modico lucri, fortune se multum exponet. Et dixit alter: meliora que habes arma sunt veritas. Et dixit alter: paciens est qui iram compescit, despectionem refrenat, dedecus tolerat, et animam suam domat. Et sensatus est ille qui recto adheret, verborum excessus omittit, nec inutilibus se exercet, et est moderatus in quolibet suo facto. Et mundum abhorrens est ille qui in superfluitatibus mundanis non inflectit cor suum, nec de sui venustatione contendit; et humilis est ille qui quare honoret homines scire nititur, et qui rectam amicitiam habet. Et dixit alter: ab ire et a concupiscenciis abstinere: ista duo tam istius mundi quam alterius nobilitas reputantur. Et dixit alter: dantis consilium et illud laudantis est discrecionis debilitas, et similiter est petentis qui redarguit consilium. Et dixit alter: non omittas benefacere etiam si plures beneficia non cognoscant, nam de se benefacere bonum est, quamvis non sit qui recte respondeat pro eodem. Et dixit alter: decet discretum non se impossibilibus exercere, non loqui que non prosunt, nec plus expendere quam lucretur, non plus[Page 585]

petere quam meruit, nec plus promittere quam persolvat. Et dixit alter: hominem vituperari de vero est honor et honorari de falso est dedecus, nec est alacritas que dilabatur ad dolorem. Et dixit alter: quamquam semel evaseris ab errore, non ob hoc revertaris ad eundem; nam, etsi adhuc bene tibi contingeret, non tamen evaderes insipiente notam. Et dixit alter: a comunione hominum non potest quis totaliter excusari, sed oportet in hoc adhibere moderamen. Et dixit alter: qui se exercet in nocivis, quod proficit non advertit. Et dixit alter: non potest aliquis nisi laboriosam ducere vitam, qui si non comedat morietur, si plus aliquantulum quam expedit comedit, leditur; si multum plus, egrotat; si minus debito sumat, esurit; ideo difficile est hominem ita agere ut diu sanus existat. Et dixit alter: nemo plus mundum istum quam venturum diligit nisi cupidus, qui mavult venenum melle involutum quam utile cibum. Et dixit alter: multum admiror illos qui, immundi, mundos se credunt, seque veridicos esse qui mendaces sunt, et sapientes qui sunt stulti. Et dixit alter: de forma exteriori pulcra et interiori turpi contentus esse non debes, nec de lingua dulci et corde fallaci, nec de habente multam pecuniam et eam, ut decet, expendere non audente; nec debes te de hiis que iam desierunt commendare, nec de rege potente qui iniustus sit et predator. Et dixit alter: qui in mundo isto fiduciam habet[Page 586]

mendosam, in alio diffidenciam veram habebit. Et dixit alter: non confidas in illum qui fidem deserit pro mundanis, licet ad tui tuicionem magne potencie videatur; nam qui semet ipsum offendit quin alios offendat, quomodo sumus securi? Et dixit alter: si innitaris ad bona opera propter Deum, in hoc mundo commodum et in alio vitam consequeris eternam. Et dixit alter: pravis ostendere secreta bonorum grande peccatum est, quia est quasi lutum cum aqua clara miscere; aqua enim ex luto corrumpitur, et lutum non efficitur nisi lutum. Et dixit alter: otium ignoranciam inducit, et ignorancia errorem. Et dixit alter: mundi huius ocia querere, est incidere in periculosum laborem. Et dixit alter: cibum, tegumentum, et habitandi locum ubique reperies; sed si ex hiis quod tibi necessarium est non sufficit, concupiscenciarum servus es. Et dixit alter: lingua Deum confitente et operibus contradicente parum prodest, immo ad impedimentum est suum eloquium et ad mortem. Et dixit alter: a rebus mundanis in totum homo excusari non potest, sed sapiens illud solum assumit de quo excusari non potest. Et dixit alter: finem bonitatis qui potest attingere, nemo in crastinum differat, quia de crastino non est certus. Et dixit alter: in multum dormiendo non est profectus sed damnum; assuesce igitur sic benefacere die ac nocte, ut medium vite tue in ocio non

expendas. Et dixit alter: in trasferendo te de una sciencia ad[Page 587]

aliam statuas ocium tuum, nec in alio delectetur anima tua, quamdiu vixeris, in hoc mundo. Et dixit alter: bona anima non potest quiescere in hoc mundo; unde, si bonus vis fieri, quiescere non confidas. Et dixit alter: ad benefaciendum conare semper, sanus sis aut infirmus, quia tibi infirmo ita bene proderit sicut sano. Et quomodocumque accadat honorare Deum et orare, non desinas. Et dixit alter: oportet te de cibo capere quod sufficiat, et non concupiscere res sapidas in quibus latent pericula tempestatum. Et dixit alter: non te eum mendace adunes in rebus magnis aut parvis, eo quod mendax assimilatur cadaveri quod, ubicumque reponatur, damnum infert. Et dixit alter: o quot sunt sperantes benefacere anime, qui ad eam perdendam nituntur! Si ergo plus esse vis anime tue, afflige eam in servicio Dei. Et dixit alter: qui Deum vero amore diligit, mortem non odit; et qui vero timore Deum non timet, est ille qui aliquo peccato connectitur. Et dixit alter: quid sit obediencia vel inobediencia scire non prodest, nisi serves obedienciam et inobediencia excludaris. Et dixit alter: qui ob delectaciones mundanas te dilexit, ob easdem odibit; et propter bonum eternum si quis te diligat, amor iste semper crescet. Et dixit alter: Deum cognoscere facit ipsum diligere, et qui Deum vere diligit, suo servicio alia non immiscet. Et dixit alter: sic animam tuam stabilias ut a peccatis omnibus, magnis ac parvis, excludaris, et quicquid boni perfeceris, sufficiat tibi. Et dixit alter: omnes homines aut Deo serviunt aut concupiscenciis; sis igitur Dei servitor et non delectacionum mundialium, ut non bestiis assimileris,[Page 588]

sed assimileris angelis qui nunquam Deo servire cessant. Et dixit alter: qui vult scire utrum anima sit nobilis aut vilis, que delectant animam suam inspiciat; que si nobilia, et infinibilia, et utilia fuerint, nobilis est; et si vilia, finibilia et inutilia fuerint, vilis est, quia quelibet anima suo gaudet simili, vilis turpibus et sincera sinceris. Et dixit alter: felix est ille qui graditur recta via, quia cito domum attingit; et qui devia sequitur, quanto plus vadit tanto plus a domo recedit. Et quesierunt a quodam sapiente: que est stulticia perfecta? Qui respondit: querere malis operibus pervenire ad statum bonorum, et diligere falsos et odire veros. Et dicerunt ei: quid est signum insipience? Respondit: delicias diligere, longam habere fiduciam et cupiditatem vehementem possidere. Et dixerunt ei: quid est cecitatis signum? Respondit: de eo confidere de quo confidendum non est. Explicit dicta philosophorum.

[Home](#)